




AUGUSTI LUDOV. GUIL. JACOB

Phil. D. Litt. Antiq. in Univers. Litterar. Reg. Vars. P. P. O.
ab consiliis Schol. Graec. Directoris

SOPHOCLEAE QUAESTIONES.

Praemittuntur Disputationes
De Tragoediae Origine et de Tragicorum Graecorum cum Republica necessitudine

VOLUMEN PRIMUM.

VARSAVIAE
Impensis Auctoris
MDCCCXXI.

****

LECTORI

SALUTEM.

De Graecae et Romanae Antiquitatis vel monumentorum praestantia, vel cum recentioribus literis artibusque coniunctione multiplici et gravissima tam constans fuit *omnium saeculorum iudicium*, ut fere, quo quisque et ab ingenio liberalior erat, et ab eruditionis elegantia instructior: eo ad utramque illam, si minus illustrandam, at certe cognoscendam studium adhiberet ardentius. Sicuti vero nullam novimus artem aut doctrinam, in qua semper eodem modo hominum versata sit industria: ita etiam eos, qui Antiquitati operam navarunt, aliis temporibus aliam secutos esse rationem videmus. Nam post renatas literas diu veterum scripta eo potissimum legebant consilio, ut eorum ad exemplum conformarent sua, ipsarumque rerum ex iis cognitionem variam haurirent. Quare in iis non tam impeditissima quaeque maxime amplectebantur, quam universam eorum naturam assequi et percipere animo studebant; quique libros veteres tunc ediderunt, non solum id habebant propositum, singula ut legi atque intelligi possent, explicata et correcta; verum etiam de rebus, quae in iis traderentur, et de scriptoris vita et arte, quae maxime

necessaria videbantur, lectores docebant. Quae quidem ratio, haud sane contemnenda, postea plures ob causas pene omnis commutabatur. Nam cum ad res illas cognoscendas minus peritorum commodis iam satis provisum esse brevibus illis notationibus videretur: magis et magis singuli quidam loci obscuriores, aut corrupti, aut varie scripti, tanquam casus ac temporis, in quibus acumen probaretur, aenigmata aliqua, omnem doctorum virorum ad se attrahebant solertiam. Eodemque tempore, incredibili harum literarum studio in Europae gentibus exorto, alii ingenii sui vim et laboris assiduitatem unice in id impenderunt, ut Antiquitatis mores et instituta et recessus quosque vel maxime absconditos illustrarent; alii vero egregia cum laude ad ipsius linguae utriusque indolem se converterunt accuratius explanandam.

Quibus excellentium virorum studiis cum his proximis duobus saeculis et nostro multas veterum librorum editiones acceperimus, quarum et criticus apparatus et eruditionis vis immensa non ad unum tantum editum scriptorem egregie aditum patefaciat, sed ad cunctos praesidia subministret largissima: in iis fere omnibus de scriptorum ingenio et natura, cum temporibusque ipsorum et tota arte, in qua elaborarunt, conjunctione ita egerunt illi viri, quasi hae res, sicuti ipsis erant, omnibus essent exploratissimae. Quod quidem ut, praesertim in hoc recentiorum literarum flore admirabili, imprimis molestum est: ita iam superiore aetate commovit plures veterum interpretes, ut non solum criticam opem atque gram-

maticam et historicam ad eos explicationem adhiberent; sed ex artis quoque et philosophiae communibus quibusdam praeceptis in eos inquirerent, instituto, quod, licet per se omnes bonum aptumque esse concesserint, tamen secuti sunt paucissimi. Etenim partim a natura, ut videtur, non datum est cuivis, ut cum austera illa et solida eruditionis gravitate ingenii facilitatem quandam politamque sensus elegantiam coniungeret; alii vero, quoniam in his literis adhuc tot alias res, quas graviores habent, iacere parum expeditas vident, ante omnia in iis curas suas ponendas esse existimant; denique sunt etiam, qui garrulam, opinor, quorundam levitatem ineptamque dulcedinem fastidientes, obstinato adversus omnem illam rationem animo, de scriptorum arte disputationes a docto Antiquitatis studio alienas, otiosisque talium rerum amatoribus relinquendas esse censeant.

Ac de his quidem iudiciis, quando in re laudabili, probe elaboranti suus cuique honos debetur, nihil addimus; neque negamus in antiquis libris illis esse multos ab arte et ingenio ita inopes, ut quasi inscii ab ipsis auctoribus eorum avertamur, ad solamque aut rerum aut linguae cognitionem animum attendamus. Sed sunt tamen in iis alia opera, neque ea pauca, quae praestantia sua eximia tantum omni aetate studium, tantamque admirationem excitarunt sui, ut iam non earum solum, ex quibus prodierunt, gentium, neque certi cuiusquam aevi propria esse, verum ad omnia tempora totumque genus humanum pertinere videantur. Quae quidem cum oblectent

omnes, explicationem iustam accipere tantum ab iis possunt, qui et linguam, in qua edita sunt, et tempora, quibus exierunt, et ipsorum scriptorum mores et naturam cognitione accuratissima habent comprehensam. Nam perfectam atque expletam omnibus suis numeris pulchritudinem exprimere nemini unquam contigit; verum, siquidem species eius absoluta quaedam in omnium animis insidet, in operibus ad eam non invita, ut aiunt, Minerva conformatis, singula quidem, atque in nonnullis vel plurima eius quasi lineamenta invenimus, quae collecta et coniuncta in unum, imaginem eius aliquam praestantissimam referant; sed in aliis tamen, non sine dolore quodam, deesse aliquid, auctoremque infra id, quod volebat, quodque vellemus ipsi, restitisse intelligimus. Hoc igitur quid sit, quaeque in his monumentis, tum bona, tum mala, sive ipsi scriptori, sive temporibus eius, sive aliis rebus tribuenda sint, qui non cum vulgo sine ratione et vituperant et admirantur, perquirendo explorant. Quod cum in recentiorum operibus egregie a multis factum sit: in veteribus illis scriptis, quae explicatum longe difficiliorem habent, admodum paucorum, ut diximus, detinuit industriam. Atque eorum quidem alii criticam scriptorum censuram ex hac potissimum parte instituerunt; alii in quaestionibus singularibus de Graecorum et Romanorum scriptorum arte et ingenio exposuerunt, praeclare utrique; sed largam tamen in hoc campo messem aliorum, si qui sequi eos voluerint, studiis reliquerunt.

Ut vero iam ad ipsum, cui totam hanc dicavimus operam, Sophoclem nos convertamus: ad eum omnium, quae hactenus universe disseruimus, facilis erit accommodatio. Joachimus enim Camerarius, primus post renata haec studia poetae nostri interpres elegantior, vel in commentationum suarum exordiis, vel in ipsis explicationibus, cum prisca simplicitate, de consilio eius atque arte et indole studiose lectores edocet; etiam Henricus Stephanus adnotationibus suis in Sophoclem criticis de Sophoclea imitatione Homeri dissertationem adiunxit, quam lectori „non parum utilitatis cum non parva voluptate allaturam esse confideret." Secuti vero hos viros inde ab Cantero usque ad hoc tempus poetae editores, excepto uno vel altero, omnes observationibus criticis quidem et grammaticis atque omnibus, quae ad linguam pertinent, doctissime eum instruxerunt; cetera vero aut leviter attigerunt, aut plane omiserunt. Atque in iis, qui nostra aetate criticam Sophocli operam navarunt, Brunckium habemus, Musgravium, Groddeckium, Erfurdtium, Schaeferum, Lobeckium, Hermannum, alios viros, tanta et ingenii et doctrinae laude splendidos, ut prope, quam egregiam totius vitae illius fuisse felicitatem accipimus, eam ne mortui quidem destituisse scripta dicas. Nec tamen hi viri, quorum plerique in singulis tantum fabulis elaborarunt, studio suo id assecuti sunt, ut vitia et impedimenta ex iis omnia removerent. Neque id mirum est. Quid enim? si aequalium cujuspiam librum aliquem haberemus, cum a tota ratione sua obscuriorem, tum

ita sive manu scriptum, sive prelo expressum; ut omissa, corrupta, interpolata multa, aliaque alias ob causas dubia et incerta essent, invenireturque aliquis, qui, id explicaturus opus, accuratissime et totam ejus institutionem exploraret, et ipsius scriptoris vitam, mores, ingenium, consilia perquireret, et res quascunque in hoc libro, non solum copiosius tractatas, sed etiam leviter significatas indagaret, denique, qui hominis scribendi et cogitandi rationem ita quasi suam faceret, ut nihil apud eum suo ipsius, sed omnia proprio illius modo sentiret, corrigeret, adderet, eiiceret: num eum interpretem, rarum certe nec facilem inventu hominem! perventurum eo putabimus, ut et ipsi auctori libri et aliis omnibus sua penitus probaret? minime vero! Atqui nostri illi critici in Sophoclis tragoediis edendis id, quod primo loco posuimus, fere praeterierunt; neque ex altero luminis ei multum attulerunt; rerum vero explanationem, saepe difficillimam, quam pauci amplexi sunt! in postremo autem loco cum plures mirabiliter meruerint, res sunt ejusmodi, de quibus nunquam non aliqua inter doctos homines dissensio sit futura.

Nec tamen, quas a criticis Sophoclis editoribus videmus praetermissas esse, de ingenio et arte ejus quaestiones doctorum virorum nulla omnino studia occuparunt. Sed, cum dudum inter plerosque populos cultiores exstiterint, qui, voluntate admodum laudabili, recentiorum literarum cum antiquis Graecis et Romanis necessitudinem quandam conciliaturi arctiorem, scriptores inter hos excellentes, quocun-

que id fieri posset, modo interpretarentur: noster poeta, qui ab hac parte cognitionem eius nobis exhiberent, praeter alios multos, Brumoeum invenit, Laharpium, Lessingium, Fridericum Iacobsium, Solgerum, Schlegelium Guilelmum, Süvernium, Hasselbachium, viros, quorum nemo nomina audiat, quin de summis et praeclarissimis in hoc orbe literarum meritis cogitet. Sed illi viri, cum de multis ita disputaverint, ut merito in hoc quaerendi genere pro exemplis habeantur praestantissimis; in nonnullis diversas ob causas a fine suo aberrarunt. Etenim aliis, ut videtur, in vero inveniendo maxime id offecit, quod nimium philosophiae studio suo et fervori cuidam poetico indulgebant; quidam vero, quas aptissime in recentiorum scriptis recensendis secuti erant, leges non sine fraude sua transferre ad antiqua conati sunt; nonnulli denique idcirco plura aut minus recte ceperunt, aut levius attigerunt, aut praeterierunt, quod universius de re agebant, harumque fabularum potius conspectum aliquem faciendum, quam earum partium omnium atque singulorum locorum explicationem sibi proposuerant.

Sed de aliorum quidem in hac re laboribus hactenus: nunc reliquum est, ut, quid ipse maxime in meo secutus sim, lectores paucis edoceam. Quod si quodammodo ex iis apparere videatur, quae vel de omni horum studiorum ratione, vel de ipsius Sophoclis interpretatione disserui: non ego id mihi arrogaverim, ut, quaecunque hic adhuc desiderentur, a me dari posse omnia vel pleraque confidam; sed

nitendum tamen pro viribus cuique, et, quantum assequi conatu possit, experiendum censeo. Itaque fines labori meo cogitatione quidem latissimos pono; assecutus autem mihi esse quam plurimum videbor, si nonnulla certe ita explicavero, ut intelligentes iustique harum rerum ratiocinatores haec studia etiam per me aucta nonnihil et adiuta esse existiment.

Ac primi quidem huius Sophoclearum quaestionum voluminis initium de *Tragoediae origine* disputatio facit, eamque de *Tragicorum Graecorum cum Republica necessitudine* quaestio sequitur, eadem mente utraque hic apposita, qua etiam postea, si continuare opus inchoatum licebit, ipsius Sophoclis explicationi semper generales ad omnemque tragoediam graecam pertinentes quaestiones aliquas adiungam, Etenim, ut minime equidem eorum delectari scriptionibus soleo, qui de graeca arte agentes, similitudinibus quibusdam ex Hispanica et Anglica et alia qualibet petitis, saepe doctis illis quidem et ingeniosis, sed ipsa natura sua pravis plerumque et fallacibus, rem perturbant et confundunt magis, quam expediunt: ita cum alius cujusvis scriptoris veteris, tum Sophoclis eam fore optimam illustrationem puto, quae simul universae et temporum eius et totius, qualis tunc erat, artis cognitioni lucem adhibuerit clarissimam.

Jllis igitur disputationibus in hoc libro praemissis, de ipsis deinceps septem, quae supersunt, Sophoclis fabulis exposui. In quo, cum talia perquirentes maxime et laudandi et vituperandi studio deduci in er-

rores soleant: nequaquam id egi, ut Sophocli praeconio meo laudem atque admirationem novam conciliarem; sed tantum in eo elaboravi, ut, quantum possem, in illa tempora, et Athenas, atque in ipsius poetae vitam me conferens animo, quaecunque in ejus fabulis obscuriora essent, ea magis illustrarem. Nec vero, quae in singulis tragoediis similitudine aliqua cognata essent, ad eundemque disserendi locum pertinerent, ea, generalibus quibusdam capitibus factis, coniunctim iudicavi; sed in quamque fabulam inquisivi separatim a ceteris, atque ita, ut tum, quid Sophocles in ea propositum habuisse et, quomodo id secutus esse videretur, monstrarem; tum, si qua ex totius fabulae ratione aut probarentur et clariora fierent, aut displicerent et suspecta essent, ea investigarem atque expenderem accuratius.

In quo genere quaestionum cum non possint non plura commemorari, quae satis cuique nota esse videantur: id tunc tantum jure haberi vitium putamus, cum nihil plane iis neque clarius vel exploratius fiat, neque iustis de causis, quod bonum certumque habebatur, in dubium vocetur, nec denique quicquam proferatur ejusmodi, propter quod, qui attente omnia perlegerunt, non poenitere se sui temporis profiteantur. Copiosius autem de iis egi, in quibus aut errores quosdam et molestam dubitationem tollerem, aut novam meam aliquam sententiam argumentis aptis confirmarem: in aliis, quae non tam exponere admodum necesse esset, quam omittere quaedam religio, ea sum brevitate usus, quam ipsam

mihi fore excusationi sperem. Neque vereor, ne sapientiores harum rerum judices id reprehendant, quod in Sophoclis Electra explicanda breviter Voltarii Orestem fabulam percensuerim, et expressam ex illa et saepius cum ea comparatam. Etenim ut causas, quae ad id me commoverunt, alias praeteream, omnino non sine summa et utilitate et iucunditate cum antiquis coniungi recentiora arbitror, ea quidem conditione, ut non temere haec cum illis commisceantur, sed finibus certis utrinque positis, in quo vel differant inter se, vel conveniant, ipsa exemplorum compositione clarius demonstretur.

Denique in singulis fabulis ex ordine plures locos partim interpretatione illustrare varia studui, partim in criticum examen vocavi. In quo cum saepius suspectorum patrocinium susceperim, de nonnullis prope vereor, ne coniecisse audacius videar. Sed primum equidem censeo, modo in examinando integri et circumspecti simus, dubitantibus libertatem maximam esse concedendam. Tunc vero, quid non permissum sit quaestionibus, praesertim iis, quae non sua auctoritate in libris mutari quicquam vel tolli iubeant, (quae temeraria multorum libido iam nimium in Sophoclem grassata est!) sed, quae tantummodo invitent viros doctos, ut nonnulla aut reiecta aut probata facilius, rursum inspiciant, cogitationeque repetita secum perpendant.

De aliis autem quibusdam, verbi causa de eo, quod plerumque sive pro graecis versionem latinam dedi, sive utraque coniunxi, et de similibus non

esse puto, quod praemoneam. Siquidem in coena qui convivas varios exspectat, boni hospitis est, sic eam instruxisse, ut ex invitatis unusquisque etiam sui aliquam habitam esse rationem sentiat. Quam ob rem, cum nos fecerimus omnia, ne quis in nobis desiderare voluntatem posset, iam lectores rogamus, ut benigne ad nos accedant et nobis faveant.

Scr. Varsaviae Idib. April. MDCCCXXI.

DE TRAGOEDIAE ORIGINE.

ARGUMENTUM.

Scriptoribus huius rei gravissimis recognitis, Aristotelis de tragoediae origine locus apponitur, ex quo Casaubonus antiquissimas tragoedias dramata fuisse collegit; Bentleius eas ante Thespidem dithyrambos vocatas esse sumsit. Atque Casauboni sententiae verisimilitudinis aliquid tum ex phallicorum ratione, tum ex eo videtur accedere, quod Bacchici cantus omnes cum saltatione coniuncti erant, ipsa commotione sua ab actionis imitatione quadam proxima; gravia in hoc etiam ea sunt, quae de Arionis in dithyrambo novationibus traduntur. Ac dramaticas quidem tragoedias hic nullas scripsit; satyros autem primus arte cultos cycliis choris adiunxit. Cum vero pluribus veterum locis in tragoedia ante Thespidem actio quaedam significetur: Philoxeni Cyclops sub examen vocatur, poema ab aliis dithyrambi, ab aliis dramatis nomine insignitum. In quo, pluribus de varia dithyramborum institutione disputatis, illud poema verum dithyrambum fuisse demonstratur; Casauboni autem illa sententia tum his omnibus parum confirmatur, tum aliis, quae postea afferentur, argumentis plane refellitur.

Sed etiam Bentleium errasse ex eo efficitur, quod diu ante Thespidem poetae tragici laudantur; maximi autem in hac re momenti tragici illi chori sunt, ab Sicyoniis in Adrasti honorem instituti, quos et Bacchicos et tristes fuisse comprobatur.

Nec vero antiquissima tragoedia dramatica erat; sed lyrica: quod Aristotelis loco illi non repugnat. Dithyrambi enim et tragoe-

diae cultus in diversis Graeciae partibus diversus erat; Athenienses autem prius dithyrambis lege institutis, quam tragoediis Bacchum celebrabant. Ad quae vel comprobanda vel magis illustranda plura de antiquo dithyrambi, tragoediae, comoediae in Attica et choro et praemio disseruntur; satyrici autem chori nullum certum fuisse praemium videtur.

Falso autem tragoediam initio lascivam et satyricam fuisse statuunt. Quippe tragici chori apud veteres diversi ab satyricis memorantur, et tragoediae, prioris satyrica, multis locis natura tristis indicatur. Nec vero origo eius est ad rusticorum potationes, verum ad vetustas Graeciae religiones referenda.

Quae cum in Graeciam a colonis illatas esse constet, ex Asia et Africa profectis: primum de antiquissimo in his terris deorum cultu necessaria afferuntur; deinde, quomodo hae religiones ad coelum ingeniumque graecum conformatae esse videantur, exponitur; denique de Bacchi prima potestate disputatur. Atque eam signa quaedam coniuncta cum dei sacris, phallus, ficus, hircus, alia produnt; vulgaris enim hircini sacrificii interpretatio inepta est, veraque hirci vis in illis religionibus pluribus Antiquitatis monumentis haud obscure significatur. Ex quibus, collatis ad Graecorum instituta quaedam vetusta, verisimillimum videtur, Bacchum apud plerasque gentes principio ut Naturae fecunditatis deum fuisse cultum. Sequitur de cantuum Bacchicorum prisca natura quaestio, in qua tragoedias initio luctus fuisse sumitur, post hircum mactatum editos.

Falluntur autem, qui demum a philosophis graecis Naturae vim et vicissitudines varias diis expressas esse docent, idque praecipue Homeri de his rebus silentio putant comprobari. Quippe hic poeta tum istis diis difficiliores inventu alios et cultiores habet; tum novam Graecis theogoniam finxit; de Dorum autem, lyricae tragoediae auctorum, institutis ille testis est parum idoneus. Ad quod probandum de Dorum et Jonum vel ingenii vel poeseos differentia quaestio adumbratur, ac poeseos quidem diu ante Homerum in Graecis florentissimae nonnulla indicia proferuntur; etiam in Homeri carminibus antiquioris artis significationes haud leves quaedam commonstrantur.

Sed posteaquam Bacchus in Graecia vini deus factus erat: homines primum eius tantum, postea etiam heroum tristes casus tragoediis chorisque tragicis celebrabant; satyros arte politos serius iis adiungebant. Atque haec tragoedia, lyrica et Dorica, antiquo tempore in Atticam ab exsulibus illata Doricis, diu ibi publico honore carebat, a privatisque tantum et rusticis, maxime Icariae, colebatur.

Atticae autem tragoediae, dramaticae, ab Thespide inventae nomen neque ab hirco, praemio, neque illius denique aetate ortum est. Veterum enim testimonia nihil nisi inter rusticos illud praemium tragicis cantoribus tributum esse probant, pluresque in hoc, quia rem parum alte repetierunt, errarunt.

Ac Thespidis tragoedias ludicras fuisse, ab tristitia remotas, et alias ob causas veri est quam dissimillimum, neque id veterum locis significatur: habebant illae tristitiam quandam, sed eam satyrorum iocis temperatam. Falluntur autem gravissime, qui praecipue Solonis de Thespide iudicio ducti, illum tragicum poetam re vera comicum fuisse docent. Nec vero Thespis fere satyri, sed plerumque herois alicuius personam agebat; neque chorus eius ex satyris, sed maximam partem ex aliis seu Bacchi, sive herois repraesentati comitibus constabat. Quaeritur deinde, numquid ex Thespidis fabulis consignatum esse literis videatur; postea de eius plaustro, faecibus, chori actione, aliis exponitur; quae cuncta ostendunt Thespidis artem neque tam rudem fuisse, quam solet putari, et tantam habuisse gravitatem, ut propter eam potissimum ab Solone improbaretur.

Absoluta de Thespide quaestione de Choerili inventis disputatur, eumque non solum tragoedias, sed etiam satyricas fecisse ponitur.

Phrynichus maxime ab cantionum tragicarum suavitate et, ut Thespis, ab saltandi peritia laudatur; sermones vero etiam apud eum longiores fuisse dicuntur, ab Aeschylo demum ad iustam redacti brevitatem. Praeterea plura ex eo colliguntur, quod primus Phrynichus muliebrem personam induxisse in scenam traditur; gravissimum vero id est, quod hic vir artem suam a fictis fabulis ad reipublicae convertere tempora conabatur. Qua novatione, sicuti omni Phrynichi fabularum tristitia, videtur factum esse, ut satyricum drama et inveniretur et cum tragoediis, initio liberius, postea certa ex lege coniungeretur.

Atque satyrici dramatis inventor Pratinas vocatur, cuius aetate Athenienses theatrum exstruxerunt. Quod cum egregium eorum novae artis studium prodat: et certamina tunc iam magis ordinata fuisse et grammaticos in vetustiorum tragicorum victoriis enumerandis saepe falsos esse efficitur.

In clausula docetur, cur Aeschyli ars ab hac quaestione semota sit.

---

diae cultus in diversis Graeciae partibus diversus erat; Athenienses autem prius dithyrambis lege institutis, quam tragoediis Bacchum celebrabant. Ad quae vel comprobanda vel magis illustranda plura de antiquo dithyrambi, tragoediae, comoediae in Attica et choro et praemio disseruntur; satyrici autem chori nullum certum fuisse praemium videtur.

Falso autem tragoediam initio lascivam et satyricam fuisse statuunt. Quippe tragici chori apud veteres diversi ab satyricis memorantur, et tragoediae, prioris satyrica, multis locis natura tristis indicatur. Nec vero origo eius est ad rusticorum potationes, verum ad vetustas Graeciae religiones referenda.

Quae cum in Graeciam a colonis illatas esse constet, ex Asia et Africa profectis: primum de antiquissimo in his terris deorum cultu necessaria afferuntur; deinde, quomodo hae religiones ad coelum ingeniumque graecum conformatae esse videantur, exponitur; denique de Bacchi prima potestate disputatur. Atque eam signa quaedam coniuncta cum dei sacris, phallus, ficus, hircus, alia produnt; vulgaris enim hircini sacrificii interpretatio inepta est, veraque hirci vis in illis religionibus pluribus Antiquitatis monumentis haud obscure significatur. Ex quibus, collatis ad Graecorum instituta quaedam vetusta, verisimillimum videtur, Bacchum apud plerasque gentes principio ut Naturae fecunditatis deum fuisse cultum. Sequitur de cantuum Bacchicorum prisca natura quaestio, in qua tragoedias initio luctus fuisse sumitur, post hircum mactatum editos.

Falluntur autem, qui demum a philosophis graecis Naturae vim et vicissitudines varias diis expressas esse docent, idque praecipue Homeri de his rebus silentio putant comprobari. Quippe hic poeta tum istis diis difficiliores inventu alios et cultiores habet; tum novam Graecis theogoniam finxit; de Dorum autem, lyricae tragoediae auctorum, institutis ille testis est parum idoneus. Ad quod probandum de Dorum et Jonum vel ingenii vel poeseos differentia quaestio adumbratur, ac poeseos quidem diu ante Homerum in Graecis florentissimae nonnulla indicia proferuntur; etiam in Homeri carminibus antiquioris artis significationes haud leves quaedam commonstrantur.

Sed posteaquam Bacchus in Graecia vini deus factus erat: homines primum eius tantum, postea etiam heroum tristes casus tragoediis chorisque tragicis celebrabant; satyros arte politos serius iis adiungebant. Atque haec tragoedia, lyrica et Dorica, antiquo tempore in Atticam ab exsulibus illata Doricis, diu ibi publico honore carebat, a privatisque tantum et rusticis, maxime Icariae, colebatur.

tragoediae inquisivit, quam de omni natura eius variaque inter Graecos et Romanos sorte exposuit. Casaubonus autem, in praeclaro libro suo de satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira, primum nonnisi praetereundo mentionem de tragoedia fecit; tunc vero de multis, ut mihi videtur, ideo potissimum secius iudicavit, quod Aristotelis uni cuidam loco, de quo infra dicetur, vim latiorem tribuit. Nec sane, quod horum studia reliquum fecerant, Vossius in institutionibus suis poeticis absolvit: vir eruditione quidem amplissima abundans, iudicii vero sui parcior. Princeps autem ille acuminis et doctrinae, qui non fere ad obscurum quicquam accederet, quin lucem ei mirabilem afferret, Bentleius, in responsione ad Boyleum, in hac re multa quidem excellenter illustravit; in aliis autem ipse sua maxime auctoritate errores auxit et confirmavit. Nam, quod eminentium et fervidiorum ingeniorum esse vitium solet, ut, si qua invenerunt acumine et specie quadam probabilia, ea cupidius amplectantur, ex suaque voluntate magis, quam e rerum veritate existiment: id etiam magno illi critico, tum alias nonnunquam fraudi fuisse constat; tum de tragoediae origine disputanti eo officiebat facilius, quo in tota hac causa acerbius Boyleum impugnabat; et argumenta, quibuscunque usus ille esset, omnia tanquam inepta refellere cupiebat vehementius. Sed tamen, qua nihil ille non vincebat, eam etiam ad hanc rem eruditionem, sagacitatem, persuasionem adhibuit, ut plerisque sua comprobaret. Neque labefac-

tare ea Vatrius potuit; qui in actis Academiae Parisiensis ab inscriptionibus de tragoediae origine et progressione disputans, multa bene apteque explanavit quidem, in nonnullis autem eruditionis speciem scilicet molestam, nimis fugiens a levitatis atque festinationis crimine egisse paulo securius videtur. Nuper vero, cum diu res iacuisset, tanquam acta et iudicata, Petrus Kanngiesserus, vir doctus et acutus, de veteri comoedia Attica instituta quaestione, etiam tragoediae initia denuo perlustravit, in multisque Bentleio assentiens, alia plura tanquam certissima protulit talia, quae si probari possent, omnem, quae adhuc obtinuit, de hac re opinionem penitus perverterent. Neque multo post eum Guilelmus Schneiderus, vir clarissimus, de originibus tragoediae graecae edidit libellum; qui, etiamsi non in omnibus satis nobis fecerit; in eo tamen laude est dignissimus, quod plerumque sagacitatem suam et coniecturas ad historiae dirigere veritatem studuit.

His igitur recognitis libris, ego meam qualemcunque de hac re quaestionem iam conscripseram, cum Thierschii, viri celeberrimi, ad me Pindarus affertur, germanus factus; cuius in praefatione elegantissima, praeter alia multa, de tragoediae principiis ea disputantur, quibus perlectis, ut fit, citius, ab edendis meis tantum non deterrerer. Sed tamen postea, cum iterum atque saepius ea expendissem, iisque neque aliorum virorum sententias, ut in eo loco, plene exagitatas vidissem, neque meam aut praereptam aut debilitatam: repetito labore meo, audendum esse exis-

timabam, cumque liberum cuiusque in re literaria sit iudicium, etiam meum de hac causa, quantulum id cunque esset, proferendum.

In quo cum id secutus sim, quod in omni Antiquitatis studio nostro habemus propositum, ut tum, quid naturae aptum sit, explorando, tum testimonia, quaecunque exstant, colligendo, temporum illorum atque rerum nobis plenam quasi imaginem efficiamus: praecipue id mihi tenendum esse putavi, ut non fere, qui errorum fons largissimus est, ex uno aut ex pluribus argumentis, semotis a ceteris, quicquam colligerem; sed tantum id pro vero haberem, quod coniunctis et tanquam in consensum vocatis omnibus maxime confirmaretur. Nec vero ego, quantum ea res difficultatis habeat, non video. Nam primum testium ratio multis nominibus perquam incerta est; naturam vero cum indagamus, vias atque formas innumeras habentem: nos imbecillitate nostra plerumque in unam aliquam protrahimur, quam sequentes studiosius, in alia omnia aberramus. Siquidem studium aliquod, licet maxime caveas, inter ipsam rem agendam fere subnascitur et quasi necessario, quippe quo vestigia singula et indicia et testimonia referantur, fit praeiudicium. Id vero, ut natura sua iudicii futuri quodammodo praeparatio est: ita imprudentes nos tanta implere voluntate solet et cupiditate sui, ut magis et magis potius id confirmare acriter studeamus, quam integre veritatem investigemus. Quod quidem postquam, et aliorum et meis doctus erroribus, compertum habebam: cum

in omni hoc libro, tum praecipue hac in quaestione semper id feci, ut, quaecunque maxime se probare mihi viderentur, in ea ipse, quanti acerrimi poteram, adversarii partes susciperem. Nec tamen vel ea ratione id me spero assecutum esse, ut fraudem ipse mihi nullam fecerim; certe vero ad integritatem scio nihil a me factum esse reliqui. Neque vereor, ne viri docti mihi irascantur, cum in suis opinionibus examinandis eadem me atque in meis usum esse libertate videbunt; praesertim cum ea ubique moderatione egerim, ut, quod alicubi de se Muretus dicit, imminutam esse a me dignitatem suam nemo conqueri possit; nisi qui tantum sibi tribuat, ut errare se posse non putet; quod neque cuiquam unquam contigit, et maius est, quam ut convenire in humanam fragilitatem queat.

Ac de tragoediae quidem origine et incrementis Aristoteles in libro suo de arte poetica 1) gravissima haec habet: *Quum initio ex tempore et tragoedia funderetur, et comoedia, altera ab iis, qui dithyrambum edebant, altera ab iis, qui phallica, quae etiamnum in multis civitatibus usitata sunt, sensim crevere, poetis prima earum vestigia amplius excolentibus. Ac multas passa mutationes tragoedia constitit, ubi suam adepta erat naturam. Ac numerum histrionum ab uno ad duos primus Aeschylus adduxit, et chori carmina minuit, et primarum partium actorem instituit; tres autem et scenae picturam Sophocles. Praetereaque mensura*

1) Cap. IV. 14—18. versio Hermanni est.

e brevibus fabulis et ludicra dictione, quoniam e genere satyrico nascebatur, sero gravior emersit, metrumque ex tetrametro iambicum factum est. Initio enim tetrametro utebantur, quod satyrica esset et magis ad saltationem facta poesis. Sermone autem instituto ipsa natura aptum reperit metrum.

In quibus cum omnia leviter adumbrata potius, quam distincte expressa sint: tamen tragoediae originem ad eos revocari, qui dithyrambum canerent, tam clarum est, ut falso haud dubie Kanngiesserus, nescimus, qua commotus causa, locum sic intellexerit, quasi Aristoteles nihil nisi dithyrambis cum phallicis eandem atque tragoediae cum comoedia rationem esse dixerit. 1) Sed hoc leve est, neque eget refutatione; gravius autem, quin omnis huius disceptationis causa fere unica id est, quod philosophus neque accuratius, quanam ratione tragoedia ex dithyrambis orta esset, demonstravit, neque de ipso novae artis nomine exposuit. Atque de his Casaubonus quidem haec habet. 2) „Qui soliti erant in sacris conventibus et ludorum solennitatibus deos aut heroes laudare, levi quadam opera et non admodum operosa eorum imitatione, quae fuerant ab illis gesta, rem in maius, ut fieri amat, augentes, fabulas et dramata coepere componere, quae postea appellarunt tragoedias". Bentleius autem 3) „hymnos istos Bacchios, unde ordi-

1) Die alte Komische Bühne in Athen. p. 27.

2) De satyrica Graecorum poesi et Romanorum Satira ed. Rambach. p. 15.

3) Opusc. philol. ed. Lips. p. 316.

nata tragoedia profecta, principio vocatos esse, non tragoediam, sed alio nomine, dithyrambum" dicit; ut magnorum virorum alter tragoedias initio dramata fuisse sumserit, quae aut hymnorum loco, aut interposita inter hymnos agerentur; 1) alter tragoedias ante Thespidis aetatem aut partem dithyramborum aut ipsos dithyrambos fecerit. Casaubonus autem, qui in omni quaestione sua egit cautissime, cur eam potissimum sententiam ferret, certe causas habuisse multas et graves videtur eoque nobis diligentius expendendas, quo vel ipsum nomen viri clarius est, vel res, de qua disceptatur, impeditior. Quid enim? cum Aristoteles tragoediam ortam esse ab iis dicat, qui dithyrambum ederent: nonne de modo, quo id factum sit, nos id certiores faciat, quod eodem in loco relatum de comoedia et phallicis legimus? Phallica enim, qualia fuerint, et, quomodo comoediae dare originem potuerint, aptissime ad rem nostram apud Athenaeum Semus Delius docet 2), Phallophoros primum quidem in Bacchum hymnos suos decantasse; deinde vero procucurrisse et spectatores, quos vellent, irrisisse referens. Nonne igitur veri quam simillimum videatur: sicut phallicis adiungi haec cavillatio soleret: ita dithyrambis initio tragicos conatus fuisse additos?

Quam autem facile ad priscam illam poesin actio

1) Ex Casauboni illo loco non satis apparet, qua ratione haec edita esse dramata posuerit. Cum vero omnem demonstrationem suam maxime ad Aristotelis de poetica disputationem direxerit: in mea interpretatione mihi non aberrasse ab eius mente videor.

2) Deipn. p. 622.

quaedam accesserit, praeter alia id probat, quod vel Pythiis in ludis nomum Chrysothemis, stola indutus insigni et citharam tenens *ad imitationem Apollinis*, cecinit. 1) Neque aliter apud Herodotum 2) inter nautas improbos istos Arion, quem sibi fore ultimum putaret, nomum canturus, citharam sumsisse omnemque suum induisse ornatum dicitur. Quodsi nomum qui canebant, habitu et incessu Apollinem imitabantur, deum moderatissimum: quid non factum in Bacchi sacris putabimus, quorum celebratio pene omnis ea esset, ut dei comites et socios se fingentes homines eius res gestas et casus et victorias, quasi tunc fierent ipsae, enthei exprimerent? Itaque primum quidem chori, qui dithyrambos canebant, haud dubie eo induti ornatu erant, cuius ipsa specie, ad quem deum pertinerent, cognosceretur: fere ut in Ptolemaei pompa illa Bacchica 3) et viri coronis aureis ornati et pueri tunicis vestiti purpureis coronatique hedera et pino commemorantur, utque omnes chori saltationis et cantionis suae generi congruentem etiam ornatum habebant; 4) deinde vero saltatio, quam adiunctam fuisse illis canti-

1) Procl. in Phot. bibl. p. 985. cf. Thiersch. Pindarus Werke. Einleitung. p. 60. sq.

2) Lib. I. 24. cf. Lucian. in diall. Mar. VIII. 1. 2.

3) Athen. deipn. p. 197 sqq. cf. Plutarch. de gloria Athen. p. 377. ed. Reisk.

4) Athen. p. 631 de Pyrrhiche, et p. 15. de hyporchemate, quibus cf. Procl. in Phot. bibl. p. 985, eundemque ibidem de oschophoricis; et Dionys. Halic. A. R. VII. p. 476. sq. ed. Sylburg.

bus constat, 1) ita omnis ad actionis imitationem facta et exculta erat, ut non posset fieri, quin finitis hymnis suis choreutae, quas cum concitatione summa cecinissent et saltassent, *Bacchi* res gestas et victorias et beneficia iam, soluti arte et naturae sequentes impetum, agendo et imitando, ut poterant, repraesentarent.

Sed cum Aristoteles tragoediam ad dithyrambos referat, non possumus Herodoti illum locum 2) praeterire, in quo *primum Arionem Corinthi et fecisse dithyrambum et nominasse et docuisse* tradit. Quibus siquidem id repugnat, quod testes alii, et ii locupletissimi, dithyrambum multis ante illum saeculis fuisse inventum affirmant: id certe dandum erat Herodoto, ut, qua istud mente sive ratione dixisset, exploraretur. Videlicet, ut apud veteres nihil erat usitatius, quam ut, si quis in arte aliqua praecipue meruisset, is primus invenisse eam diceretur: 3) ita etiam Arionem in dithyrambo mutationes fecisse tam graves credibile est, propter quas haud immerito eius quasi inventor haberetur. Atque

1) Lucian. II. de saltatione p. 286. Quare veteris disciplinae laudatores maxime improbarunt cantus sua aetate saltatione destitutos. cf. ap. Athen. Comicum. p. 628 et Plutarch. de EI. apud Delph. p. 528.

2) I. 23.

3) In dithyrambi inventoribus etiam Lasum Hermioneum referri nemo est, qui nesciat; nec tamen is in huius poeseos institutione, ab Arione excogitata, tam mutasse quicquam, quam perfecisse et addidisse plura videtur. cf. Burette mém. de l'Acad. des inscr. tom. XV. p. 329. De Philoxeno autem Cytherio, dithyrambi inventore, quae apud Tzetzen legimus, (Scholl. ad Lycophr. p. 252 ed. Müller.) ea aperte ad Arionem pertinent et confusa sunt.

hanc opinionem egregie Suidas confirmat 1), qui nescimus, consilio interpretatus Herodotum, an casu, auctoremque alium secutus, inter alia de Arione haec tradit: *Fertur etiam tragicum modum invenisse, itaque nominasse id, quod a choro caneretur;* quibus praeterea haec addit, in hac quaestione minime contemnenda: *et satyros induxisse dicitur versibus loquentes.* In quibus, quod Arion et chorum instituisse, et chori huius cantibus dithyrambi dedisse nomen dicitur, quis non videat, quam ad Herodotum explicandum aptum sit? His enim Arionem non vere invenisse dithyrambum accipimus; sed tantummodo saltandi eius formam novam fecisse, ipsumque nomen certioribus circumscripsisse finibus docemur. Quod utrumque, cum parum veteres definierint, quale fuerit, facile assequi coniiciendo possumus. Namque, ut omnis poesis initio non legibus regebatur certis; sed libero animi atque ingenii impetu effundebatur: sic dithyrambos haud dubie solutissime canebant homines, bacchantes illi et prorsus furibundi. Postea vero, cum et mores emollirentur magis et dithyrambus, deflectens de natura sua, in aliorum quoque deorum heroumque laudes ederetur: in eo canendo tum diversam a priori, tum alias aliam rationem sequebantur. In quo accuratius perquirendo neque nomus negligendus fuerit, cum dithyrambo saepissime et memoratus coniunctim et comparatus et nominis communione quadam etiam confu-

1) V. Arion.

sus. 1) Simplicissimum tamen et simillimum veri est, ante Arionis aetatem dithyrambos primum, sicuti alios cantus Bacchicos, 2) in ipsa pompa et a procedentibus ad templa et altaria cantos esse; deinde, arte quadam maiore accedente, ad antistrophas esse revocatos; 3) postremo vero Arionem eam eorum formam aut ipsum excogitasse primum, aut maxime excoluisse, quae, probata et accepta postea ab omnibus, dithyrambicorum chororum ipso nomine exprimeretur: quandoquidem iure ad hoc potissimum referri id putamus, quod tum Photius, tum alii testes veteres Arionem *primum cyclium instituisse chorum tradiderunt.* 4) Quodsi hoc modo ille dithyrambum lege nova conformavit: certe etiam ab satyrorum et Baccharum, aliorumque bacchantium quorumvis turba segregasse chorum putandus est, atque hoc ipsum esse dicas, quod Suidas eum dithyrambum vocasse id refert, quod chorus caneret.

Satis haec quidem per se gravia sunt, neque ab

1) V. Proclum. apud Phot. p. 985. Aristot. poet I. 13. II. 6. Marm. Oxon. Epoch. X. p. 160. de nomis ab Hyagnide in Matrem deorum, Bacchum et Pana compositis.

2) v. Donat. fragm. de vet. trag. et comoed. p. 2. cf. apud Hesiodum, scut. Herc. v. 280 sqq. iuvenes Komon agentes, et pompae significationem antiquissimam ap. Hom. Jl. VI. 270 sqq. et XXIII. 12. cf. de Romanorum pompa triumphali Dionys. Hal. A. R. p. 102 et 475 et 477. de eaque Romae primum ab Tarquiniis, Corintho oriundis, instituta Strabon. V. 2. 2.

3) Aristot. problem. XIX. 15.

4) Aristot. apud Phot. p. 985. Schol. Pind. Olymp. XIII. 25. schol. Aristoph. avv. v. 1403. Mar. Victor. l. I. 2501 in Putschii edit. Gramm. ant. lat.

re nostra aliena; sed magis tamen ad eam id pertinet, quod eodem in loco Suidas Arionem et *tragicum modum invenisse* et *satyros induxisse* scribit *versibus loquentes.* Ac mireris sane, cum Viri docti, qui de initiis tragoediae disseruerunt, omnia, quaecunque ad ea ferrent vestigia, collegerint; neminem fere hunc attigisse locum, qui, nisi aliud certius quicquam, at saltem aliquo modo etiam Arionem meruisse de tragoedia confirmet. Unus autem, quem memorare eum recordor, Vatrius, 1) festinatione falsus sua, male inde Arionem tragoediae genus, nescio quod, novum invenisse conclusit; quod tantum abest, ut tragicus modus significet, ut melopoeïae genus quoddam declaret. De quo, si non ipse Aristides Quintilianus ad manum erat, in libello suo de musica tragicum modum cum nomico et dithyrambico componens 2): at egregie eum docere Burettus poterat, sodalis ipsius in Academicis et musicae antiquae interpres elegantissimus. 3) Sed, siquidem Arion tragicum modum, Doricae harmoniae speciem, aut invenit primus, aut, quod hic quoque sumas, praecipue expolivit: iam, in quibus potissimum carminibus usus eo sit, quaestio exsistit perdifficilis. Nam de ipsis dithyrambis cogitare vix ea nos sinunt, quae de Philoxeno, novatore in musica audacissimo, Aristoteles commemorat. 4)

1) Mém. de l'Acad. des inscript. tom XV. p. 260.

2) p. 30 ed. Meibom.

3) Mém. de l'Acad. des inscr. tom. V. p. 174 et 179.

4) De Rep. VIII. 7. 9.

Is enim, cum dorice canere dithyrambum conatus esset, id non potuit; sed, ipsa natura cogente, ad Phrygiam harmoniam, convenientem huic poesi, recidit. Nec vero nomos tragice Arion fecerit, quippe qui proprio suo modo, hoc est nomico, canerentur: reliquum est igitur, ut in prooemiis 1) eum suo usum esse invento statuas. Quanquam ab Suida non omnia Arionis poemata enumerata esse, vel ex eo intelligimus, quod orthium omisit, ab Herodoto commemoratum, nec sane verisimile est, egregium poetam et, quod ipse Suidas tradit, Alcmanis 2) discipulum, non erotica etiam et parthenia et alia 3) fecisse, in quibus tragico modo eius locus esset. Quid vero? si inter alia Arionis poemata, omissa scriptorum negligentia et oblivioni tradita, etiam tragoedias fuisse lyricas coniiciamus, quae, ut nomen modo illi darent, ita ad eum potissimum componerentur? Certe dithyrambicus et nomicus modus, ab ipso poeseos suo genere uterque nominatus, similem tragici modi rationem haud leviter significant. 4)

Sed mittimus haec nunc quidem, atque ad *Satyros* nos convertimus, quos Arion primus introduxisse traditur *versibus loquentes.* Ac vetustissimi qui-

1) V. Suid. v. Arion. cf. Thucyd. III. 104.

2) v. apud Athenaeum Archytam Harmoniacum p. 600.

3) v. Plutarch. de Mus. p. 667.

4) Cum dudum haec scripta haberem, casu in illa incidi Jo. Tzetzae: *tragici poetae Arion, Thespis, Phrynichus, Aeschylus* cet. (Scholl. ad Lycophr. p. 256. Nec tamen ei loco, propter ipsam Arionis, lyrici poetae, cum dramaticis coniunctionem equidem multum tribuo.

aios ludi quidam fuisse in usu videantur, rudes illi quidem, sed maxime dramatici. 1)

Ad hanc vero Casauboni sententiam de tragoedia vetustissima, dramatica, vix quicquam revocari iure meliore videatur, quam Philoxeni Cytherii illius Cyclops, poema notissimum, quod ab aliis drama vocari, ab aliis poni inter dithyrambos constat. Ac loci quidem et veterum et recentiorum, in quibus aliqua eius mentio fit, ab Eichstädtio, viro celeberrimo, in praeclaro libello de dramate Graecorum comico-satyrico 2) et ab Hermanno, viro egregio, in adnotatione ad Aristotelis de poëtica libri caput secundum plerique omnes collati sunt; neutrius autem viri sagacitas, quod, si qua alia, poterat facillime, rem est ita persecuta, ut dubitatio de ea nova exoriri nulla posset. Itaque ego, in poematis huius mentionem incidens, ut maxime mira quaeque amplecti cupidissime solemus, aliquamdiu, non sine iucunditatis commotione quadam, id ipsum talem fuisse dithyrambum suspicabar, in quo tragoediae elementa ista, ludos dico dithyrambis intermistos, sic exculta et expressa essent, ut, utri poeseos generi adscribendum esset, jure homines dubitarent. Sed tamen, accuratius re examinata, tum, quibus haec opinio vitiis laboraret,

1) Athen. deipn. p. 621. Nescimus, quae horum ludorum apud Lacedaemonios vis et origo fuerit; sed dramaticam quandam rerum memoriae conservandae rationem non in Graecis solum, sed in aliis etiam populis usitatissimam fuisse multa exempla docent, veluti Aegyptiorum apud Herodot. II. 63. et Persarum aliorumque apud Strabon. XI. 8. 5. et huiusmodi multa fuisse in mysteriis videntur.

2) p. 32. et 33.

cogno-

cognoscebam, tum, quid omnino de dithyrambo illo dramatico habendum esset, quaeque erroris causae praecipuae fuissent, satis perspexisse mihi videbar. Etenim primum, qui Philoxeni Cyclopem scenicam fuisse fabulam existimarunt, ex parte quidem in errorem inducti esse ipso, quo saepius nominatur, dramatis vocabulo videntur. Cuius quam late vis pateat, vel ex eo intelligitur, quod Aristoteles etiam Homerum dramaticum poetam vocat, 1) omnemque dithyrambum ad imitantem poesin refert, a Platone 2) et Proclo 3) inter narrantis poeseos genera numeratum. Aristoteles autem, quibus haec nomina finibus circumscriberet, satis ipse in poetices suae capite vicesimo quinto declaravit. Itemque Heliodori Aethiopica, haec ipsa, quae in manibus sunt et cognita omnibus, a Photio claris verbis et dramaticum opus et simpliciter drama vocantur 4). Aristophanis autem interpretibus graecis, Philoxenum etiam *tragododidaskalon* appellantibus, aptissime Eichstädtius id fortasse fraudi fuisse monet, quod choros cyclios, a poeta dithyrambico Corinthi institutos, confunderent cum ipsis tragoediis, quae in Attica scena ex iis efflornissent. Dithyrambicorum enim poetarum plures, ut Simonidem, Pindarum, alios etiam tragoedias fecisse, ex iisque *tragododidaskalon* nomen

1) Poet. IV. 12 et saepius.

2) De Rep. III. p. 614. ed. Francof.

3) Phot. bibl. p. 981.

4) bibl. p. 157.

fuisse notum est; sed eae tragoediae, quod postea pluribus demonstrabitur, omnes fuisse lyricae videntur; quae, cum Atticae tragoediae initium dedissent, neque ea florente penitus negligebantur. Ad dithyrambi vero cum tragoedia cognationem cognoscendam, inter alia, Aristotelis ille in Politicis, quem supra laudavi, locus facit, in quo bene Jo. Gottl. Schneiderus v. cl. Philoxeni alius dithyrambi cuiusdam eruisse nomen videtur, apta coniectura pro *mythus*, *Mysus* substituens, „quo nomine fabulam tragicam ab Aeschylo et Agathone publico in certamine commissam fuisse novimus." Sed praeter haec aliud, quo Cyclopem scenicam fuisse fabulam probarent, argumentum e versibus duobus casu conservatis petierunt, quorum alterum quidem

ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ

Britannus quidam doctus, laudatus ab Hermanno, 1) non e Philoxeni, sed Aristiae ex Cyclope sumtum esse docuit; alter autem

οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν;

licet dithyrambici tumoris nihil habeat; tamen, modo ne viri docti coniecturis suis trimetrum eum faciant, neque est trimeter, neque si esset, propterea Philoxeni ab dithyrambis alienus videretur. Etenim, ut de Crexo taceam, qui plurima in hac poesi novabat: Plutarchum si audias, ipsa novissima in dithyrambis et maxime inaudita quaeque Philoxeno congruentissima dixeris. 2) Gravissimum vero in hac

1) in adnot. ad Aristot. poet. II. 6. 2) de Mus. p. 663. 681. 685. sqq. cf. Dionys. Hal. de compos. verbb. p. 264. ed. Schaefer.

re momentum, ut videtur, ea habuerunt, quae de huius poematis origine et natura tum ab Athenaeo, tum ab aliis narrantur. Nam Philoxenus, cum ob vitiatam Dionysii amicam in lapicidinas missus esset, ibi, quo iniuriam eam ulcisceretur, ita composuisse Cyclopem traditur, ut, suum ipsius casum exprimens, Cyclopis persona Dionysium exagitaret, tibicinam Galateam faceret, denique suas partes Ulyssi tribueret. Concedendum est, in his nos habere omnia, quae drama satyricum efficerent; eaque dramaticae poematis naturae significatio et Britannum illum induxit, ut „Cyclopem *dialogi more* scriptum fuisse, ut *Sophronis mimos*" censeret, et *Eichstaedtium* commovit, ut poematis in illo loco mentionem faceret. Etenim de Attica satyrica magis et magis degenerante disputans Vir celeberrimus, „factum id est, inquit, vitio illorum poetarum, qui poesin satyricam a populi celebritate et lumine scenico ad umbratilem, opinor, exercitationem scribendique solitudinem revocarent, eamque modo ad artis affectationem, modo ad impune lacessendi cupiditatem traducerent, dramata proponentes, legenda aequalibus, non item spectanda in theatris. Atque ex hoc genere mature iam extitit Philoxenus Cytherius, lascivus ille et luxuriosus dithyramborum poeta, qui iniuriam ulturus, a Dionysio maiore sibi factam, dithyrambicis versibus, ad dramatis similitudinem conformatis, ipsum Siciliae tyrannum Cyclopis nomine exagitavisse, eiusque amicae personam imposuisse Galateae narratur." Verum tamen, ut priora ista, propter quae

Cyclopem nonnulli fabulam scenicam habuerunt, argumenta infirma omnia et nullius momenti sunt: ita ne huius quidem narrationis ea vis est, ut illud poema non fuisse dithyrambum comprobet.

Etenim iam Pratinae aetate, 1) vel etiam antea, mutatio in hoc poeseos genere maxima eo facta erat, quod non, sicuti initio, liberi homines, sed mercede conducti dithyrambos canebant. Hi enim, cum saltandi artis essent multo illis peritiores: etiam poetis iam audere plura et difficiliora licebat. Ex quibus ad nos id maxime pertinet, quod tunc in dithyrambis *antistrophus*, ut quibus praecipue imperitiores illi artis adiuti fuissent, omiserunt, eosque magis *mimetikus* fecerunt. 2) Nec vero ego eos *mimetikus* dici „angustiore illo significatu crediderim, quia actores induebant liberorum hominum personas," sed, tum exemplorum ductus auctoritate, tum ipsius rei naturam considerans, ita hic dithyrambos dici ad imitationem formatos puto, ut eodem in loco philosophus choreutas minus imitari, quam in scena actorem memorat. Namque initio quidem, nisi universus chorus, at certe, qui partes eius componebant, pleraque omnes cecinisse una videntur, ad idque potissimum antistrophae inventae erant; postea vero, cum liberi homines mercenariorum studiis rem omnem reliquissent: e novitate gratiam arti admiscentes poetae, cantus ita, ut videtur, magis ad

1) Athen. deipn. p. 617.

2) Aristot. problem. XIX. 15. cf. Hermann. ad Arist. poet. I. 2.

imitationem adducebant, ut tum subito ex aliis ad alios animi affectus modos converterent, 1) tum singulis choreutis plura solis traderent canenda et saltanda. Cuius rei exemplum, serius illud quidem, sed luculentissimum Anaxandridem habemus, qui dithyrambi partem sedens in equo cecinisse traditur. 2) Neque aliis in carminibus, veluti in Pindari epiniciis, Pelopis et Herculis illae preces 3) et similia ab universo choro, sed sive ab chorago, sive ab singulis canta esse choreutis videntur; 4) quanquam Pindarum eam rationem magis etiam in tragoediis suis secutum esse inde colligas, quod Suidas 5) eas dramatum tragicorum nomine insignivit. Pindarus autem in his ita simplicitati et antiquo mori studebat 6), ut Philoxenus novandi cupidissimus erat, suaque in modulatione et melodias diversissimas coniungebat, et rhythmos liberrime conformabat, et cycliis choris immiscere cantilenas (*mele*) 7) audebat. In quo, ne longus sim, id tantum ponere liceat, coniicien-

1) Num forte ad hanc musicae conformationem referendum sit, quod in fragmento aliquo Pindarus: *olim dithyrambus incedebat schoinotenes* dixit? v. Pind. fragmm. ex dithyr. IV. ap. Thiersch. l. l. II. 252.

2) Athen. deipn. p. 374.

3) Olymp. I. 75. sqq. Isthm. VI. 39. sqq.

4) cf. Boeckh. de metr. Pind. p. 266. et Thiersch. in l. l. I. p. 143. sqq.

5) v. Pindarus.

6) v. Plutarch. de mus. p. 685 sq.

7) v. Plutarchi et Dionysii. Hal. locos laudatos.

do effectum: postquam e lyrica poesi dramatica profecta esset, illam quoque ipsam, ut assolet fieri, aliquantulum esse immutatam. Etenim, quaecunque vel cogitari et dici, vel cani et saltari digne et graviter poterant, ea multa per saecula tum poetae iam protulerant omnia, tum ad satietatem usque vulgus audiverat. Cum vero omnes cantiones illae atque saltationes, ut dictum supra est, cum imitatione et actione quadam coniunctae essent: haec in nova arte tam perfecta, tamque praecellens erat, ut lyrici poetae, ne prae ea ipsi languere viderentur, non possent non, varietate et imitatione aucta, suis quoque poematis vigorem quendam atque vitam novam infundere. 1) Itaque ipsum Pindarum, etiamsi veteris moris studiosissimus esset, tamen maiore in arte sua, quam Alcaeum et Sappho usum esse libertate legimus, 2) et similem in nomo mutationem factam esse imprimis ex eo efficitur, quod, quem Chrysothemis aliquando solus cecinisset, deum imitatus: eo Aristotelis aetate poetae aut meliores, quam essent, homines, aut pares, aut peiores repraesentabant. 3) Eademque philosophus de dithyrambo refert, quem cum iam diu non in Bacchum solum; sed in omnes fere deos et heroes fecissent: ne laudes aut easdem semper, aut eodem modo repeterent, Philoxeni temporibus poetae, ut videtur, eum sic instituebant, ut ex dei

1) v. Athen. deipn. de Pratina et tragico et hyporchematico poeta p. 617.

2) Dionys. Hal. de comp. verbb. p. 262. cf. Thiersch l. l. p. 62.

3) Poet. II. 6.

celebrandi historia mythum aliquem eligerent, a quo et nomen suum atque inscriptionem poema inveniret, et cui, quasi stamini cuidam, dei aut herois laudes scite subtexerentur. Exempla rei, praeter Pindari de Niobe paeanem illum, quem Plutarchus memorat, 1) dithyramborum apud Athenaeum plura fragmenta habemus, velut Melanippidis Marsyae 2) et Telestae Argus 3) et Timothei eius, cui idem atque nostro Philoxeneo, Cyclopis nomen erat. 4) In qua dithyramborum institutione, si rhythmorum varietas eo potissimum ad vitium usque aucta esse videatur, quod *singula a singulis canebantur et saltabantur:* in apparatu et vestitu chororum an simili poetae usi varietate sint, dictu est difficilius. Certe Chrysothemis ille, incessu atque ornatu suo Apollinem imitatus, et satyri dithyrambis adiuncti, et Anaxandrides ex equo dithyrambum canens, et omnis huius poeseos ratio et natura nos commoveat, ut Cyclopes istos et Marsyas et horum similes etiam habitu suo distinctos fuisse a ceteris choreutis suspicemur. Sed, (verendum est enim, ne ipso audaciores Philoxeno, choros illos nimium dramaticos faciamus), hanc quidem in medio relinquimus quaestionem, in eo nos continentes, ut variis temporibus in hoc quoque usum modumque fuisse va-

1) de mus. p. 666.

2) deipn. p. 616.

3) ibid.

4) ibid. p. 465.

Quodsi Philoxeni Cyclops, quippe verus dithyrambus, neque omnino ullam cum dramatica poesi rationem habet, neque Casauboni de vetustissima tragoedia sententiae quicquam confirmationis affert: iam, eo misso, revertimur ad ea, ex quibus ad hanc quaestionem sumus evagati. Quae quidem, ut specie quadam veritatis Casauboniana illa haud leviter commendent: tamen alia quam plurima et eum et Bentleium errasse in hac re gravissime comprobant. Neque enim, etiamsi dithyrambis aliisque id genus cantibus nunquam non actionis quaedam admista imitatio esset: idcirco tragoediae initio dramata erant; neque, quod Bentleio visum est, illae sic erant cum dithyrambis coniunctae, ut tum ars ipsa tragica, tum nomen eius demum ab Thespide initium sumeret.

Ac Bentleius quidem tragoediam antiquiorem hoc viro esse tam studiose negavit, ut Epigenem tragicum, commemoratum ab Suida, non ex hac tribu solum, sed propemodum e natis unquam eiiceret. 1) Parum id quidem apte, ut videtur. Quandoquidem ille si solus esset, cuius nomine ante Thespidem fuisse tragoediam probaretur: non magni momenti esset: sin praeter eum alia argumenta hanc poesin antiquissimam esse suadeant: haud sane unum enecuisse testem sufficiat. Ac vere sunt, quae tam graviter hoc confirment, ut etiam Epigenem exsuscitent rursum, a Bentleio tantum non sepultum!

1) l. l. p. 279. sq. cf. contra eum Hermannum disputantem ad Aristot. poet. III. 5.

De hoc autem Suidas 1) haec habet: *Cum Epigenes Sicyonius tragoediam non in Bacchum fecisset, hoc acclamarunt: nihil ad Bacchum! unde proverbium ortum est;* quibus addere licet ea, quae sequuntur: *Melius vero sic: Olim carminibus de Baccho scriptis certabant, quae et satyrica dicebantur. Post vero, aggressi ad tragoedias scribendas, paulatim ad fabulas et historias se converterunt, nulla amplius Bacchi mentione facta, unde et hoc acclamatum est, et Chamaeleon in libro de Thespide similia narrat.* Ad quae insuper alia huius proverbii addita explicatio commovit quosdam, ut de Epigene ipsi parum constitisse Suidae suspicarentur. 2) Verum, praeterquam, quod proverbiorum pene omnium paulo vetustiorum, incertae ac diversae ferri origines solent, de Epigene narrationis illius id vel maxime veritatem comprobet, quod, cum notiora alia et recentiora essent; tamen eius quoque, poetae haud ita clari, constans quaedam mentio fiebat. Suidas autem alio in loco, 3) distinctis verbis, Epigenem antiquissimum et primum poetam tragicum vocat; post eum vero Thespidem, ab aliis decimum sextum haberi, ab aliis secundum refert. Haec quoque discrepare quis non videat? Ac nos ne id quidem pro vero habemus, quod Epigenes hic primus fecisse tragoedias dicitur. Sed de hac veterum in artium

1) v. *udenpr. t. Dionys.* Negationem recepi ex coniectura Thierschii.

2) v. Schneiderum Guil. de origg. trag. gr. p. 23.

3) v. Thespis.

auctoribus laudandis inconstantia et supra diximus et dicemus etiam saepius; hic vero de aliis quibusdam poetis tragicis veteris scholiastae testimonium apponimus: 1) *Orestis aetate in Graecia florebat Theomis, qui primus tragicas cantilenas invenit et dramata primus edidit, et post eum Minos, post Minoem vero Auleas choros tragicos composuit.* In quibus, etsi id, quod de dramatibus dicitur, haud dubie falsum est atque grammatici errori tribuendum; non tamen leviter, quippe tot coniunctis nominibus, tragoediae vetustas significatur; Bentleii autem de hoc loco sententia, quam in epistola ad Millium 2) protulit, tam levis ac temeraria est, ut ipsa eius disputatione fere confundatur. Neque equidem in Platonis Minoe 3) de tragoediae aetate testimonium negligendum puto: nam hic dialogus adulterinus sit licet, tamen antiquus est, et suo etiam suffragio poesin illam a multis certe pro vetustissima habitam esse confirmat. 4) Sed alium, gravissimum in hac re testem Herodotum habemus, 5) *choros tragicos* commemorantem: *Sicyonii Adrasto honores tum alios habebant, tum*

1) ap. Stanleium in adnott. ad vitam Aeschyli p. 700.

2) in l. l. p. 490 et 510.

3) p. 569. ed. Francof. cf. Thiersch. l. l. p. 151.

4) De tragoedia lyrica, diu ante tragicam exculta, inter recentiores nobiscum et Vatrius consentit in l. l. p. 260. et Boeckinus in libro, ab acumine pariter et ab eruditione praestantissimo: die Staatshaushaltung der Athener. II. p. 362 sqq. et Thierschius in l. l. p. 151 sqq.

5) V. 67.

casus eius tragicis choris celebrabant, non Bacchum honorantes, sed Adrastum. Clisthenes vero choros Baccho restituit cet. De quibus Bentleius 1) haec disputat: „nihil aliud ex his elici locis potest, (egit antea de Platonis in Minoe et de Diogenis Laertii locis) nisi, quod ante Thespidis tempus prima fundamenta et quasi semina tragoediae, iacta sint; fuerunt chori et ex tempore *autoschediastika.* Imo ipsa vox tragoediae tum nondum audita fuit Sicyone, tametsi Herodotus vocat tragicos choros." — „Nonne dicemus, Herodotum, qui ipse aliquot annis a Thespide fuit, quum celebris tragoedia, et numeris omnibus absoluta esset, usum fuisse anticipatione, quum diceret tragicos choros; ac voluisse eos choros, a quibus tanquam stirpe profecta ea, quae suis temporibus diceretur tragoedia?" 2)

At vero, ut Herodotus anticipatione uti in hac re posset, chori illi tragoediae ei, quam cognovimus, similes, hoc est, tristes fuerint necesse est; quod Kanngiesserus v. cl. duabus potissimum de causis negat: 3) Nam primum, si tristes fuissent, choros non potuisse Baccho addici, ut cuius laeta sacra omnia et iocosa essent; tunc vero eiusmodi choris fere id fuisse propositum, ut mortuos de vitae calamitatibus quodammodo consolarentur iocisque exhila-

1) in l. l. p. 310 sq. et 315.

2) Etiam Thierschius has Bentleii argutias memoravit; sed brevius egit, quam ut litem componeret l. l. p. 152. et 162.

3) l. l. p. 36. sqq.

rarent. Attamen ad prius istud, si ponas id verum esse, quod respondeatur, cuivis in promtu est: scilicet, ut ab Adrasto ad Bacchum chori illi revocarentur, ita luctus eorum in laetitiam esse commutatos; neque magis alterius argumenti vim cuiquam probaverit vir doctus, praesertim exemplis iis, quae apposuit, parum ad rem aptis. 1) Etenim interest profecto, utrum omnino in honorem mortui ludi vel chori edantur, an id choris propositum sit, ut casus eorum et calamitates celebrent. Adrasto vero plurima in vita mala accidisse, tum nos scimus omnes, tum a Graecis poetis casus eius tam studiose exponi in scena solebant, ut Antiphanes, Comicus, apud Athenaeum 2) Adrasti nomen inter ea ponat, quibus auditis in theatro, qualia fere spectaturi mala essent, omnes praescirent. Sed denique chori illi, quibus Adrasti casus celebrarentur, apud Herodotum ab aliis, qui huic heroi habebantur honoribus, ita seiunguntur, ut verisimillimum sit, eandem fere iis, licet non enthusiasticam, tristitiam expressam fuisse, qua aliorum sive deorum sive hominum casus celebratos esse constat, Adonidis dico et Cereris et Pro-

1) Aptiora ad haec illa videri poterant, Dionysii Hal. A. R. VII. p. 477, ubi apud Romanos in illustrium virorum pompis funebribus satyrorum chori memorantur sicinnin saltantes. Sed tamen, quas hi partes egerint, satis ex antecedentibus apparet, in quibus non fere ipsi carmina cecinisse sibi propria, sed tantum graves seriorum chororum motus ludicre imitati esse referuntur. Neque, quod gravissimum est, his choris calamitates, nescio quae mortui celebrabantur, sed nihil nisi funebris pompae splendor augebatur.

2) deipn. p. 222.

serpinae 1) et ipsius Bacchi, quem summo cum planctu praecipue mulieres luxisse inter alios egregie Dionysius Halicarnassius docet. 2)

Verum, etsi chori illi tragici, Adrasto consecrati, tristes erant, in eoque tragoediae, qualis postea erat, aliquam similitudinem habebant: non idcirco equidem Herodotum in iis appellandis anticipatione usum esse arbitror; sed tragoediae nomen et Clisthenis aetate et diu antea cognitum fuisse pro comperto habeo. Etenim, si threnos aut ialemos aut aliud quid eiusmodi cantum esse ab Sicyoniis sumas: non erat causa, cur Herodotus eos cantus tragoediae nomine vocare, quam suo mallet. 3) Deinde vero, si illi chori omnino lugubres quidem, nec tamen tragici, hoc est Bacchici fuissent: qui tandem esset factum, ut, ademti Adrasto, Baccho potissimum dicarentur? Id vero sic narratur, ut aliter non potuisse fieri appareat, pauloque antea distincte Sicyonii his choris *non Bacchum honorasse, sed Adrastum* dicuntur; quod ipse Bentleius recte interpretatur: „materiem illis subiectam non Bacchum, sed Adrastum fecerunt," id quod addere Herodoto nequaquam in mentem venisset, nisi natura sua ad Bacchum chori pertinuissent.

1) Athen. deipn. p. 619.

2) A. R. II. p. 90. cf. Spanhem. ad Callim. hymn. in Cer. 125. et, quae Thierschius l. l. p. 141 sq. de threnis aliisque id genus carminibus disputat.

3) Certa poeseos genera non suo, sed generali nomine vocari saepius videmus: veluti Plutarchus Alcib. c. 18. pro Adonidiis threnos posuit; contrarium vero, praesertim in simplici narratione, vix quisquam fecerit.

Habemus igitur et Epigenem aliosque tragicos antiquissimos, et tragoedias Thespide priores, easque tristes et, quod item in dithyrambis vidimus evenisse, a Baccho ad heroes declinatas. Quibus accedit, praeter choros tragicos vetustos, commemoratos ab Athenaeo, 1) Diogene Laertio, 2) Donato 3), quod etiam Simonides tragoedias fecisse fertur 4), de quo quidem Bentleius, epitaphio eius et epigrammate quodam apposito, 5) haec disputat: „Non quidem verbis expressum hic, quo genere certaminis vicerit: ut possit forte aliquoties vicisse tragoediis; si verum sit, quod narrat Suidas, Simonidem tragoedias fecisse. Sed credere malo, generatim eum vicisse dithyrambis suis cum cycliis choris, et in ea me opinione confirmat eius epigramma, ante non editum. . . . Observandum, quod pro *nikas*, ut est apud Tzetzen, in epigrammate est *taurus*: quod auctoris esse, censeo, sed, quum non intelligeretur, mutatum est in *nikas*. Nam taurus praemium erat dithyrambi, ut hircus tragoediae." Quis non sentiat, haec a Bentleio in responsione ad Boyleum esse scripta? Siquidem alias fortasse vir doctus cum eadem, qua hic usum videmus facilitate, ex hac potissimum praemiorum differentia tauris dithyrambos significari, tripodibus

1) deipn. p. 630.

2) Sect. III. 56. 3) Donati. s. Euanthii fragm. de vet. tragoed. init.

4) Suid. v. Simonides.

5) In Epitaphio Simonides quinquaginta sex victorias et tripodes; in epigrammate totidem tauros ac tripodes reportasse dicitur.

tra-

tragoedias effecisset, praesertim cum Athenaeus 1) in Bacchi certaminibus praemium tripodem fuisse referat. Sed de his postea pluribus dicetur; hic tantum ad ea, quae disputavimus, id addimus, quod etiam Pindarus inter tragicos poetas fertur, 2) atque in inscriptionibus duabus a Boeckhio, V. celeberrimo, egregie illustratis, 3) tum satis clare lyrica tragoedia significatur, diversa ab dramatica, tum expressis verbis antiqua tragoedia distinguitur ab recentiore.

Nec vero, cum haec admodum probabilia sint, praeterit nos, quae contra ea proferri quaestio possit: scilicet, si ante Thespidem tragoedia aliqua, diversa ab dithyrambo et per se exculta erat: qui tandem factum sit, ut Aristoteles in loco eo, quem supra apposuimus, non fere tragoediam dramaticam e lyrica vel recentiorem ex antiqua ortam esse dixerit; sed eam isto modo ad dithyrambum revocarit. Quae dubitatio, ut gravissima est, ita mihi molestias, ingenue profiteor, summas exhibuit. Nam, quae tragoediam lyricam quandam, et eam antiquissimam, fuisse comprobent, argumenta tam multa tamque bona sunt, ut de re dubitare plane nequeas; nec tamen Aristoteles is est, cuius in tali re facile quisquam auctoritate careat. At qui tandem ille id negaverit, quod in ea testium, sane multorum, conspiratione exploratissimum esse videa-

1) deipn. p. 37.

2) Suid. v. Pindarus.

3) in l. l. II. p. 362 sqq.

tur? Nonne probabilius est, brevitate eius factum esse, ut negare id videretur, quod re vera, si non affirmavit, at certe tantum praeteriit? Atque hoc esse ita ego quidem pro certo habeo, neque omnino admodum ad credendum facilis, et eo in hac re cautior, quo in ea gravius, quam facile quantaque eum veritatis specie errari possit, ipse sum expertus. Sed, qui me aliquamdiu illusit, error est eiusmodi, in quem, si quis alius in eandem rem inquirat, non minus facile, quam ego incidat. Quare, quod cum laude nonnunquam poetae faciunt, ut ea, quae inter scribendum reiecerint, in poematum suorum fine, quasi varias lectiones quasdam adiungant et percenseant: id in hac disputatione nobis semel facere sine reprehensione liceat; praesertim cum non monere solum nostro casu alios velimus; sed etiam falsis vera quaedam intermista sint, in hac re gravia et necessaria. Adscribemus igitur primum, nulla mutatione facta, pravam istam argumentationem nostram; deinde vero, in quo erraverimus, monstrato, quid nunc pro vero habeamus, breviter exponemus.

Atque Aristoteles quidem in artis poeticae exordio tria poeseos genera constituit: lyricum, epicum, dramaticum. 1) *Epica igitur poesis et tragica et comoedia et dithyrambica imitationes sunt generaliter. — Epica poesis aut prosa dictione aut versibus imitatur. — Sunt vero artes, quae numero et concentu et metro utuntur, veluti dithyramborum poesis nomorumque,*

1) I. 2. 7. 13. et II. 5. 6. 7.

et tragoedia atque comoedia. — Etiam in sermonibus et versibus, veluti Homerus, cet. — Pariterque in dithyrambis et nomis. Eodem vero discrimine tragoedia a comoedia distat. Deinde vero, postquam universe philosophus et, per quae et, quae et, quomodo imitemur, exposuit: in capite quarto 1) omnem poesin tum ex conatibus extemporalibus ortam esse dicit, tum ita in duas quasi partes dividit, ut, pro sua quemque natura, aut gravia et pulchra imitari, aut levia sequi et ridicula doceat, et quidem alios, *convicia facientes, alios, hymnos et encomia. Eorum quidem, qui Homero priores fuerunt, non possumus huiusmodi poema afferre* (hoc est, quo deteriorum mores expressi sint). *Ab Homero autem exorsi possumus, ut huius Margites est et similia. — Itaque veteres, alii heroicorum, alii iamborum poetae exstiterunt. Quemadmodum autem in gravioribus rebus maxime poetam Homerus se praebuit, ita etiam comoediae formas primus monstravit, non convicia, sed ridicula agendo exprimens. Margites enim, ut Ilias et Odyssea ad tragoedias, ita hic ad comoedias comparari potest. Exorta autem paullatim tragoedia et comoedia, qui ad utrumque genus ingenio suo ferebantur, eorum alii pro iambis comoedias, alii pro heroicis versibus tragoedias docere instituerunt, quod hae formae luculentiores illis et honoratiores essent. Igitur quum initio ex tempore et haec funderetur et comoedia, altera ab iis, qui dithyrambum edebant, altera ab iis, qui phallica, sen-*

1) 7. 15.

sim crevere, poetis prima eorum vestigia amplius excolentibus. In his equidem tria maxime observanda puto: primum, quod Aristoteles singula, quas constituit, poeseos genera studiose inter se comparat et coniungit; deinde, quod cognata specie sua fere copulat; postremo, quod in brevitate summa non modo nihil praeterit, sed repetit etiam ea, quae sententiam suam mentemque magis explanent. Itaque ad gravem poesin hymnos atque encomia et heroica et tragoedias et dithyrambos refert; in altera autem parte convicia et iambos et comoedias et phallica ponit; neque eo, quod tragoediam ortam esse ex dithyrambis dicit, eius magis originem, quam utriusque poeseos naturam gravem significat. Sed, quam in omni de poetica libello suo fere nimis sectatur, poeseos epicae et dramaticae similitudinem hic quoque tum aliis, tum eo indicat philosophus, quod Homerum et cum tragicis componit, et Margite eum suo primus comoediae monstrasse formas dicit. Atque id etiam, quod clare ex prioribus elucet, ad internam utriusque poeseos naturam aut levem aut gravem spectat; originem dramaticae tantum abest Aristoteles, ut ad epos revocet, ut statim eam lyricam esse adiiciat. Namque eo, quod tragoediam ad dithyrambum refert, non modo bacchicam eam facit, sed ipso dithyrambi nomine, quippe quo in proxime antecedentibus ter id genus insigniverit, eandem lyricam fuisse declarat. Dubitatio autem de hoc loco omnis nata ex modo est, quo Aristoteles de re exposuit. Quandoquidem, sicut primum ab hymnis

subito ad epicam poesin transit, ita postea hanc ipsam in multis simillimam dramaticae, emergente tragoedia et comoedia pene omnem neglectam esse monet, *quia hae formae luculentiores illis et honoratiores essent.* Quae si nemo non de dramatica tragoedia accipiat: ea, quae sequuntur de tragoedia, initio ex tempore fusa, non ad illam, sed ad lyricam referenda esse videantur. Namque, ut in omni poeseos genere et, quid primum fuerit et, quid ortum inde sit, accurate Aristoteles exponit: ita hic dramaticam ex lyrica poesi profectam esse docet. Sed, quippe maxime in drama inquisiturus, quae supra universe de omnis poeseos initiis naturalibus et extemporalibus disseruit, ea hic de tragoedia sic repetit, ut iisdem pene verbis utatur. 1) Neque eo, quod tragoedias primum ex tempore fusas esse ab iis refert, qui dithyrambum canerent; huius ipsius initium extemporale fuisse negat, id quod omni eius rationi plane repugnaret; sed extemporales illi conatus tragici, adiuncti dithyrambis, et ad remotissimas aetates, quibus utraque poesis ex tempore ederetur, et ad lyricam tragoediam pertinent; quae quidem, diu iuxta epicam exculta poesin, tum demum hominum ab illa ad se convertere studia, eaque fieri luculentior et honoratior coepit, cum, dramatica per Thespin facta, novum ipsa poeseos genus constituit.

Verum in his tamen, quorum ratio subtilior ipsa libri illius natura obscuriore probari quodammodo

1) cf. IV. 7. et 14. sq.

videretur, mihi suspicionem aliquam primum id movebat, quod philosophum conatibus illis extemporalibus lyricae tragoediae, quam ne nominaverit quidem, remotissima significare principia statuebam. Neque haec suspicio alia quadam cogitatione minuebatur. Siquidem Aristoteles, cum de mutationibus, quas passa tragoedia esset, diceret, certe, si de lyrica cogitabat, eius in dramaticam conversionis, longe omnium gravissimae, aliquam iniicere mentionem debebat. Ne dicam, quod, si eo accurationis processisset ille ut lyricae tragoediae prima initia repeteret, sane quam mirum foret, quod similes dramaticae origines silentio transiit.

Itaque, denuo examinato loco, haec: *Igitur quum initio* et, quae sequuntur, ad dramaticam tragoediam, de qua modo sermo erat, referenda esse, eamque vere ab Aristotele ab ludis duci extemporalibus, coniunctis cum dithyrambo, intelleximus. Num vero propterea ille, id, quod Casaubonus ex hoc potissimum effecit loco, dramata ab iis, qui hymnos cecinissent, in deorum heroumve laudes facta, postea tragoedias appellata esse dixit, aut, quod Bentleius sumsit, tragoediam haud priorem esse Thespide indicavit? Negamus utrumque. Nam dramatica tragoediae species et originem et florem suum, quod constat inter omnes, Athenis habuit; neque Aristoteles eius tam cognationes omnes et, priusquam dramatica facta esset, fata enarrare, quam de ipsa exponere voluit. Quare lyricam quidem tragoediam communi hymnorum vel dithyramborum nomine sig-

nificasse satis habuit; dramaticae vero eum ideo non ad illam, sed ad dithyrambum retulisse originem puto, quod Athenis illa neque secreta ab dithyrambo esset, neque ita, ut in Doribus, exculta. Nova doceo, argumentisque, antequam credantur, bonis comprobanda? Nec recuso, neque factu id admodum difficile habeo. Nam primum, si Athenis lyrica floruisset tragoedia, atque initium dramaticae dedisset: non sane hic Aristoteles pro ipso eius nomine improprium dithyrambi posuisset. Deinde vero lyrica tragoedia et semper Dorica vocatur et composita esse solum ab Doricis poetis, vel certe urbibus Doricis traditur. Quid vero? quod etiam dithyrambi auctores atque inventores aut origine Dores erant, aut saltem in Dorica gente primum dithyrambos docebant? 1) Neque praetereundum est, quod Aristoxenus in Atticis poetis primum Sophoclem Phrygia in poematis suis usum esse melopoeïa, modumque ad ea adhibuisse dithyrambicum docuit. 2) Sed haec ad universam lyri-

1) v. Schol. Pind. Olymp. XIII. 25 et 26.

2) In vita Sophoclis. In quo, ne cui id scrupulum iniiciat, quod Athenis diu ante Sophoclis aetatem dithyrambi canerentur, de Aeschylo narratiunculam istam liceat memorare, (ap. Porphyr. de abstin. ab animm. II. 18.) qua cum ad paeanem in Apollinem faciendum provocatus esset poeta sapiens, Tynnichi vetustum quendam et suo et alio novo quovis hymno tanto dixisse praestantiorem fertur, quanto vetustissima quaeque, maxime in rebus divinis, sanctiora videri novis solerent. Scilicet similem ob causam Athenienses antiquis temporibus aut eundem semper aut paucos quosdam cecinisse dithyrambos dicas, a Doricis poetis compositos. (Sic Pindari dithyrambi fragm. exstat, Atheniensibus facti ap. Dionys. Hal. de comp. verbb. p. 304. sqq.) Quibus conferatur, quod Plutarchus (de gloria Athen. p. 372.) Athenas nullum protulisse neque epicum poetam, neque lyricum egregium dicit.

cae poeseos rationem pertinent, quam in Graeciae gentibus mirabiliter diversam fuisse, nemo est, qui nesciat. Itaque, ut exempla, non modo carminum, sed etiam sacrorum atque rituum non ubique, sed in singulis tantum gentibus usitatorum, multa exstant 1): ita ipse quoque nostro in loco Aristoteles phallica sua aetate in quibusdam, non in omnibus agi urbibus dicit. Neque magis Attica tragoedia statim Doribus ceterisque Graecis omnibus se probavit; sed diu postquam a perfectionis suae fastigio iam delapsa et recepta in tota fere Graecia erat, actores tragici plerique fuisse Athenienses videntur 2).

Nec tamen obliquae huic argumentationi tantum ego attribuo, ut ea me vincere rem posse sperem; sed iam ad aliam, rectiorem, me converto, ex testimonio quodam vetustissimo petitam. Scholiastes enim ad Platonis de Republica librum tertium haec scribit 3): *Tragoedia est poesis versibus ad certamen cantus de tristitia personarum et rerum facta, cuius victori hircus praemium dabatur, ex quo etiam nomen habebat. Comoedia est poesis versibus itidem ad certamen cantus, primum quidem ad hilaritatem quandam et in frugum collectione facta; postea vero cum notatione atque expositione turpium personarum et re-*

1) v. Boeckh. l. l. I. p. 228. et Spanhem. ad Callim. hymn. in Cer. v. 43. eundemque de Cereris Megalartiis apud Delios et Boeotos celebratis ibid. v. 12. cf. Athen. deipn. p. 621. de Dorico Bacchum ludis celebrandi modo.

2) cf. Boeckh. in l. l. II. p. 362. sqq.

3) p. 154. Ruhnk.

rium ad castigationem composita, cuius victori mustum praemium dabatur, quod tryga vocebant, unde etiam haec initio trygoedia plerumque nominabatur; postea verō, quoniam in vicis (kata komas) ciebatur, antequam in urbem immigraret, Comoedia vocabatur. Dithyrambus scribebatur in Bacchum, commotus et multum furoris cum saltatione habens. — Inventum quidem esse dithyrambum Corinthi ab Arione dicunt; poetarum vero primo bos praemium dabatur, secundo amphora, tertio hircus, quem musto illitum abigebant. Habemus in his tragoediae, comoediae, dithyrambi et originis et praemii et nominis rationem tam accurate expositam, ut male faceremus, si ea cum levi aliorum de his rebus hariolatione reiiceremus. Ac de tragoediae quidem origine et natura, quae his indicari videntur, diligentius postea examinabimus; nunc id tantum velim observari, quod Scholiastes claris verbis et tragoediae et dithyrambi praemium hircum fuisse docet. Ex hoc enim non inepte, ut videtur, aliis in locis illam seiunctam ab hoc fuisse, in aliis autem dithyrambum eam habuisse institutionem colligas, ut tragoediam, quasi partem sui aliquam, in se contineret. Separatae vero ab eo omnique Bacchi cultu haud dubie eae erant tragoediae, quas temporibus antiquissimis a deo ad heroum casus conversas esse legimus; neque forsitan hunc poeseos usum Sicyonii tantum, sed Dores etiam alii probaverint. De dithyrambi autem praemio triplici, quae hic traduntur, sic intelligenda puto, ut is, qui optimum dithyrambum fecisset, primum eius praemium, bo-

vem acciperet; qui minus placuisset, secundum, amphoram, reportaret; tertium vero praemium, hircum, is sumeret, qui infimo loco substitisset. Ac trium praemiorum, etiam tragicis poetis Atticis propositorum, mentio fit in vita Sophoclis, qui saepissime primum et secundum, tertium nunquam tulisse dicitur. Quae si steterit interpretatio: quod in tragoedia Sophocli, idem in dithyramborum certamine Simonidi evenisse dicam, quippe qui in epigrammatis, laudatis a Bentleio, non quidem tertium praemium, hircum, sed boum ac tripodum numerum sane magnum reportasse memoretur.

Verum haec res ita est comparata, ut vix promovere pedem possis, quin impedimentis aliis atque aliis te retentum et cohibitum videas Thierschius enim, vir celeberrimus, hoc ipso, de quo agimus, usus loco, Athenis tragoediam lyricam et separatam ab dithyrambo fuisse et praemium hircum habuisse probare studuit. 1) Atque argumentationis suae in parte prima et quasi exordio vir doctus id ponit, quod in Dionysiis tum virorum tum puerorum chori certare dithyrambis solerent; nec tamen praemium utrisque idem fuisse propositum, sed, pro ipsa aetatis differentia, viros victores bovem, pueros amphoram tulisse dicit. In quo, cum vix quisquam de virorum cum pueris aliquo certamine cogitet: ipsum Simonidis epigramma illud evidenter poetam et boves et tripodes reportasse, virorum choris victorem

1) l. l. p. 254. sqq.

comprobat; quanquam non ideo tripodem vel amphoram etiam puerorum chororum praemium fuisse negaverim 1) Sed Thierschius, illis praemissis, maxime propterea Thespidis inventum neque ad puerorum, neque ad virorum pertinuisse chorum statuit, quod uterque etiam post institutam tragoediam Atticam eadem atque antea ratione ederetur. 2) Quamobrem, quo Aristotelis loco nostro honos suus constet, tertium aliquem sumendum esse chorum, satyricum, dicit, eumque cum ipso praemio suo, hirco, epigrammate censet significari illo, ab Dioscoride in Thespidem facto; 3) cuius in versione sua vir doctus (*kometas*) *turbam laetabundam* et (*tritton*) chorum *tertium* facit; hircum vero, quasi tertii chori, hoc est satyrici, praemium nominari ab ipso, de quo diximus, Scholiaste affirmat. 4) Quam argumentationem cum nemo acutam esse infitias sit iturus: nos plurimis de causis, quin vera sit, maximopere dubita-

1) cf. Lys. Apollod. dor. p. 699. et de tripodibus puerorum et virorum magnitudine differentibus Athen. deipn. p. 198.

2) Observandum in hoc est, quod in Thebana inscriptione, a Boeckhio prolata l. l. II. p. 366. satyrographus nominatur, actor nullus proditur. Dixeris Agathemerum, tragoediae actorem, etiam in Satyris egisse. Recte fortasse; sed in prima inscriptione p. 358. et tragicus actor et satyricus memoratur.

3) ap. Bentl. l. l. p. 277. Ego tritton sanum bonumque habeo. Ceterum Jacobsius, Vir egregius, ad hunc locum haec scripsit: (Anthol. tom. VII. p. 383.) „Novum illud opus a Thespide inventum tragoedia fuit, non drama satyricum."

4) Memorabilis in hac causa etiam Plutarchi ille locus est, (de gloria Athen. p. 375. et 377.) in quo cum choris hedera coronatis faecemque Bacchicam redolentibus tragicorum praemia tripos, bos, hircus commemorantur.

mus. Primum enim haud negligendum est, quod Scholiastes noster tum tragoediam, sicut Suidas in Pindari scriptorum enumeratione, seiunctam a dithyrambo habet, tum praemium eius idem atque dithyrambi tertium, hircum fuisse docet; tria vero etiam tragoediae Atticae praemia Sophoclis vitae auctor commemorat. Nec vero usquam, quod meminerim, Satyrici chori ad certamen, praemio proposito, dicuntur admissi esse; sed omni tempore, fere ut postea Atticae tragoediae, adiuncti fuisse dithyrambis videntur. At vero istud, ex Dioscoridis epigrammate sumtum argumentum, iuxta primum et secundum, puerorum virorumque chorum, tertium aliquem tragicum vel satyricum fuisse comprobat! Ampliandum censeo vel de integro in rem inquirendum. Quid enim in hoc epigrammate id est, quod chori illius, praeter hircum, ficuum cistam praemium fuisse legimus? ficus enim atque vini amphora in Marmore Arundeliano 1) ut comoediae praemia commemorantur. Num igitur errasse Dioscoridem, vel male confudisse res dicamus? Non vero! sed de antiquis temporibus ille et de (*kometis*), hoc est, *rusticis* loquitur, consentiens plane et cum Marmore, quod in *Icariis* haec comoediae et tragoediae fuisse praemia docet, et cum Plutarcho, 2) qui *antiquo tempore Bacchanalia rustice et hilariter acta esse* tradit: *vini amphora et pampinus*, *tum hircum aliquis*

1) v. Bentl. p. 264.

2) de cupid. divit. p. 91.

trahebat, *sequebatur alius*, *ficuum cistam ferens*, *post omnia phallus*. Atque ex his etiam (*trittus*) ille, hoc est *triplex chorus*, quid significet, intelligitur: *Tragicum* chorum scilicet, cuius praemium hircus esset; *comicum* aut *phallicum*, qui *ficus* atque *amphoram vini ferret*; denique *satyricum*, praemio quidem, ut videtur, nullo ornatum, sed tragico hilaritatis caussa, ex antiquo more, additum. Tragoediam vero atque comoediam, diu inter Icarios excultam, serius Athenas immigrasse constanti totius antiquitatis testimonio comprobatur. In urbe enim antea dithyrambus colebatur, ad certaminis leges certas primum, ut ferunt, 1) ab Laso revocatus. Qui, quam arcte coniunctus natura sua cum tragoedia et comoedia fuerit, quamque similem utriusque rationem habuerit, clarissime ex ipsis eius praemiis cognoscitur. Bovem enim, ut peculiare suum habebat, 2) *amphoram* vero ex comoedia vetustissima, 3) *hircum* ex tragoedia sibi adiunxerat. Neque haec tantum ab argumentatione sunt verisimillima, sed ab ipsius Aristotelis testimonio certissima. Etenim qui tandem, si tragicus chorus,

1) v. Menag. ad Diog. Laert. 24. B. cf. Burette Mém. de l'Acad. des inscr. XV. 324.

2) v. Schol. ad Pind. Ol. XIII. 25. cf. Tzetz. Scholl. ad Lycophr. p. 251.

3) Non obstant huic rei explicationi, quae Aristoteles de phallicis choris habet, Athenis rite praeter dithyrambos actis. Ad aliorum enim institutorum provocantes exempla, istis, si certum aliquod propositum erat praemium, hoc idem atque comicum illud esse posuisse concedimus; nec tamen propterea in dithyrambicis quicquam mutatum esse existimamus.

hoc est, ut Thierschio videtur, satyricus, seiunctus a dithyrambo et praemio suo certo praeditus fuisset: tragoediam ille ex *ludis* ducere *extemporalibus* potuisset, ab iis fusis, qui dithyrambum cecinissent? Imo dithyrambum quidem Aristoteles Athenis ex lege atque institutione certa cantum esse dicit, eique ab choreutis ludos quosdam tragicos ex tempore adiectos esse, 1) non eos quidem primum ab Thespide excogitatos; sed diu ante eum inter rusticos inventos, si fidem Polluci habemus, haec scribenti: 2) *ante Thespidem mensa quaedam fuit, in quam unus aliquis ascendebat indeque choreutis respondebat.* Itaque hi potissimum et similes, ni fallor, ludi erant, de quibus cogitans Aristoteles illa scripsit: *Igitur, quum initio ex tempore et haec* (tragoedia) *funderetur et comoedia, altera ab iis, qui dithyrambum edebant, altera ab iis, qui phallica, sensim crevere, poetis prima earum vestigia amplius excolentibus.*

1) Nimirum in choreutis dithyrambicis et phallicis multi haud dubie Icarienses erant, qui, cum studiosissime tragoediis et comoediis Bacchum colerent, hymnis illis rite cantis, choros conformasse voluntarios videntur, in comoediae quidem originibus expressis verbis ab Aristotele commemoratos. (poet. V. 3. ubi cf. Hermannus) Iis igitur, patrio et gentili more suo, deum celebrabant; primum vero Thespidem (quanquam ne eum quidem statim initio) ab Archonte chorum accepisse tragicum arbitror, quicum fortasse illam docuit fabulam, (Ol. LXI.) in Marmore significatam (cf. Bentl. l. l. p. 276.) Neque male ad haec illa faciunt Themistii (Orat. XV. p. 385. ed. Patav.) *Num gravis tragoedia cum omni simul ornatu suo processit in theatrum, neque Aristoteli credamus, primum quidem chorum prodeuntem cecinisse deum: Thespidem vero et prologum et sermones invenisse?*

2) Onom. IV. 19. 2.

Sed, quandoquidem ad hanc semel aggressus causam, maximopere omnem ex ea tollere dubitationem velim: rursum revertendum ad eos est, qui, et numero plurimi, et gravissimi auctoritate, ducemque egregium, Casaubonum 1) secuti, tragoediam initio remotissimam a severitate et ludicram atque lascivam fuisse asseverant. Paulo id verius opinor, quam quidam etiam dithyrambos principio ludicros fuisse existimarunt, eo, ut videtur falsi, quod in Procli interpretatione 2) Schottus parum apte *paidian ludicra puerilia* vertit, cum *methe* et *paidia* hic nihil nisi laetam dithyramborum in vindemia scilicet originem significent, sicuti *hiketeiai kai polle taxis nomi* gravitatem eiusque ex paeane ortum exprimunt; Proclus vero de dithyrambis suam sententiam satis clare supra dixit. Casaubonus autem 3) de tragoedia haec disserit: „Quamvis gravissimum sit tragoedia et plenum maiestatis genus poeseos, initia tamen illius non solum humilia, sed etiam cum lascivia et petulantia coniuncta. Principio enim chori Satyrorum instituti, qui parvas illas, quas dicebamus, fabulas, apparatu modico, cum saltibus et conveniente Satyrorum lasciviae petulantia orationis age-

1) l. l. p. 16. cf. Bentl. l. l. p. 306, Thierschium p. 155. sqq. Kanngiesserum a p. 21. ad 68. et p. 76. Schneiderum atque Riemerum in lex. gr. v. trygodos et choros. Guil. Schneiderum p. 7. sqq. et Hermannum (in diss. de compos. tetralog. p. 1.) certe Satyros antiquiores tragoedia facientem.

2) Bibl. p. 986.

3) l. l. p. 16.

rent. Hoc illa Aristotelis nos docent: *mensura tragoediae ex brevibus fabulis et ludicra dictione, quoniam e genere satyrico nascebatur, sero gravior emersit.* Ex his discimus, satyricae poeseos tantam esse vetustatem, ut etiam prior fuerit vera tragoedia, et quasi mater illius."

Atque Aristotelis quidem de Satyris locum postea examinabimus. Casaubonus vero satyricam poesin, quam aetate priorem fuisse tragoedia dicit, ne sic quidem, ut videtur, admodum vetustam facit. Ipse enim initio Bacchum inter comites suos nullos habuisse Satyros docuit; verum Didymi auctoritate, quam probatam per Suidam vidimus, eos serius demum accessisse ad poesin demonstravit. Nec vero Satyri principio cum tragoediis, sed cum dithyrambis memorantur coniuncti. Quo in loco si forte, qui Casaubonum sequuntur, nominis ducti specie 1), ipsos illos satyrorum ludos tragoedias vocatos esse contendant: iis, ut alia mittam, Sicyoniorum choros illos tragicos oppono, et antiquissimos 2), certe longe Arione antiquiores, et tristitia sua vel maxime ab Satyrorum lascivia abhorrentes; Didymus autem propter id ipsum poetas dithyrambis, simillimis tragoediarum, Satyros adjunxisse dicit, ne, conversa ad heroes poesi, Bacchi obliti esse viderentur. Praeterea autem, quamvis inter omnes

1) cf. Hesych. v. tragos et Polluc. onom. IV. 18. 59. cf. Voss mythol. Br. II. 250 et Crenii praef. ad Casaub l. I. p. XXI.

2) cf. de Adrasto Sicyonis rege antiquissimo Hom. Il. II. 572 et Pindar. N. IX. 30. Schol. Quam vero certa dignaque fide sint, quae de Sicyoniorum institutis memorata apud veteres legimus, aptissime Plutarchi locus docet de Mus. initio.

gen-

gentes in omnique literarum genere multas incredibiles factas esse mutationes constet; tamen, quomodo in Graecis, qui ipso loquendi usu suo *tragikon*, ut honestum, *satyriko*, hoc est, turpi opponerent, 1) ex Satyrorum ista petulantia gravis oriri tragoedia potuerit, non intelligimus. Atque eam petulantis lasciviae in tristem gravitatem conversionem factam esse non fere ab Jonibus dicunt, sed a Doribus, dramatis et tragoediae, ut ipsi praedicabant, inventoribus, quosque constet inter omnes Graecos et gravissimos fuisse, et veterum institutorum morumque suorum tenacissimos. 2) Accedit, quod etiam in aliis, quae memorantur, tragoediis antiquis, veluti in Epigenis illis, nullus Satyrorum fuisse locus videtur; Athenaeus autem, quod non levis momenti est, de priscis temporibus loquens, aperte tragicos choros distinguit a satyricis, haec scribens: 3) *Antiquitus satyrica omnis choris constabat, sicut tunc etiam tragoedia, quare neque actores habebant.* Quibus addi praeterea ea possunt, quae de tragoediarum dithyramborumque origine vel apud eundem Athenaeum 4), vel apud Photium 5), vel apud Maximum Tyrium 6) leguntur; quorum illi quidem utramque

1) Casaub. l. l. p. 94. cf. Rambachii adnot.

2) Athen. deipn. p. 624.

3) deipn. p. 630.

4) ibid. p. 40.

5) bibl. p. 985.

6) dissert. XXXVII. 4.

poesin et comoediam Icariae, Attico pago, vindemiae tempore ortam esse in comissatione et potu tradunt; Maximus autem choros antiquos, qui in Bacchi honorem ederentur, tam rudes facit, ut non magis, quam illi tragoediae principia ad Satyrorum retulisse petulantiam videatur.

Nec vero ipsa haec, quae, coniuncta cum ceteris, tragoediam initio non fuisse satyricam doceant, gravitatem eius suspectam cuiquam reddent, qui, quae in sacris illis legitime fierent, ab eo distinxerit, quod privatorum sibi licentia sumebat. Siquidem, quod saepissime in Graecis videmus factum esse, ut eorum, quae ad deorum cultum pertinebant, pars populo committeretur, qua, suo usus modo, vitae aerumnis ludendi iocandique hilaritatem affunderet: id, ipsa rei natura, praecipue in Bacchi sacris evenisse constat. Ut vero dithyrambi aliique hymni, non in deorum sacris solum, sed etiam in conviviis canebantur 1): ita, veluti ex antiqua hereditate 2), prae ceteris Icariae colonos in potu cum dithyrambos et tragoedias et comoedias cecinisse, tum choros egisse qualescunque veri est simillimum. In quo, ne qua de tragoediis dubitatio iis relinquatur, qui has res e nostris potius moribus, quam ex antiquis solent iudicare, ii vel postea quam ars tragica maxime exculta esset, privatos homines, cum genio indulsissent, tragoedias saltasse et cecinisse meminerint.

1) Athen. deipn. 628. cf. Strabon X. 4. 18.

2) Lucian. Saltat. II. 40. p. 291. et deorr. Conc. 5. III. 530 cf. Aelian. Ann. VII. 28. cum adnot. Gronovii.

Cuius rei exemplum aptissimum apud Aristophanem 1) senem illum habemus, Atheniensem, qui bene potus totam per noctem, quas memoriter teneret, antiquas Thespidis tragoedias saltasse dicitur, vehementer prae iis novas istas fastidiens, quarum insulsitatem scilicet! saltando postea esset monstraturus.

Non igitur satis clare Casaubonus de sacrorum, maxime Bacchicorum, ratione exposuerit, qui in quaestionis suae initio 2) quidem bona haec habeat: „Celebratio festorum duas praecipue causas habuit: honorem divini numinis, et hominum a consuetis laboribus suis cessationem; cui postea adiunctus est lusus et iocus"; deinde vero etiam enthusiasticorum sacrorum iniecta mentione, tum ea ipsa, gravissima in Bacchi rebus, rursum missa fecerit, tum omnino parum accurate divinas religiones ab laetitia humana seiunxerit. Siquidem quaestionis suae quasi summam vir egregius haec posuit: 3) „Satyricae igitur poeseos, non secus ac tragoediae et comoediae origo prima, ab illis repetenda conventibus, quos vetustissimi mortales collectis frugibus cogere soliti, ut gratias diis acturi sacrificiis operarentur, et laborum, quos sustinuerant, memoriam posituri, animum relaxarent ac iucunditati se darent." Atque eam sententiam, praeter alios, quos taceo, in commentario suo ad Virgilii Georgica 4), etiam Vossius sequitur, Vir celeberri-

1) vesp. v. 1451. sqq. ed Tauchn.

2) l. l. p. 4. 3) p. 9.

4) Eclog. II, v. 380. sqq.

mus, qui, cum saltationes et cantus quosdam atque ludos varios recte rusticorum laetitiae tribuat, dithyrambos et tragoedias tunc demum nobis persuadebit e vinolenta rudium hominum exsultantia esse ortas, cum ex eodem fonte furorem quoque Bacchicum illum et pompas et phallos atque id genus alia profecta esse demonstraverit. Sed haec, quippe non ad solum Bacchum pertinentia, sed etiam cum aliorum deorum coniuncta sacris, certo non ad compotationes rusticas; verum ad religiones priscas et sacerdotes revocanda sunt, rerum humanarum divinarumque auctores et moderatores antiquissimos.

Namque, ut rudes homines, a cultu omni alieni, gaudium moeroremve suum exclamationum seu laetarum seu tristium 1) varietate et vehementia significent: poeseos, antequam dei aliqua orta cognitio esset, inventae exemplum reperiri nullum puto. Sed, cum primum exsistunt in rudi gente homines, ingenio et artis sensu quodam excellentes, qui non regi posse feroces animos intelligunt, nisi divini numinis in iis veneratio instituatur: statim et religiones quaedam inveniuntur, et lingua deorum ad honores celebrandos ita sensim colitur et adaugetur, ut poesis quaedam, tanquam sua sponte enascatur. 2) Itaque antiquissima, quod convenit inter omnes atque etiam ab Aristotele declaratur, lyrica poesis est,

1) cf. Theophrast. de musica apud Plutarch. Symp. I. 5.

2) cf. de his multa aptissime, alia confusius disputantem Fr. Schlegelium in Gesch. d. Poesie d. Gr. u. Roem. p. 29. sqq.

divina illa, quae, progrediente arte, ad vitae adhibita iucunditatem, etiam res humanas magis exhilarat et exornat. Cuius cum vestigia, quippe ex ea temporum longinquitate, nonnisi paucissima supersint: certe significationem aliquam ea faciunt, quae apud Homerum et de paeanibus ad placandos deos editis, et de *Lino*, in vindemia canto, et de similibus quibusdam legimus. Dithyrambi vero et tragoediae et phallicorum carminum prima initia quis in Graecia credat orta esse, cum haec omnis poesis ad Bacchi religiones pertineret, in terram inopem et horridam tunc temporis, ab *aliis illatas gentibus*, diu ante Graecos *cultu aliquo eruditis*? Quare de tragoediae graecae origine disputaturis nobis non modo in Graecorum Antiquitatem descendendum est, remotissimam illam, mire turbatam fabulis et narrationibus obscuris, falsis, confusis; sed aliorum etiam populorum, illius gentis conditorum et magistrorum in religionibus luminis quasi scintillae quaedam indagandae sunt, atque in unum hinc illinc colligendae. Qui labor, cum per se admodum difficilis et molestus sit: ingratissimus fit eo, quod certum quicquam effici eo posse fere desperamus, verisimilium autem, quae assequamur, ea est ratio, ut ambiguitatem omnem ex re tollere vel in consensum cogere discordes nequeant.

Atque, cum constanti totius Antiquitatis testimonio satis probetur, antiquis temporibus in Graeciam immigrasse Pelasgos, Phoenices, Aegyptios, Libyes, Phryges, alios, eosque suos secum deos attulisse verisimillimum sit: iam hi, quales fuisse videantur dii,

quaerimus. Varii certe, et pro gentium illarum temporibus, institutis, cultu, omni denique natura dissimiles. Nam in nonnullis quidem Asiae partibus iam Abrami aetate unum, cuius ne simulacrum quidem exsisteret, Deum cultum esse in libris sacris legimus; eandemque Aegyptiorum fuisse sapientiam Moysis religiones significant, magnam partem, quod convenit inter peritos, ex sacerdotum huius populi arcana doctrina sumtae. Sed in plurimis illarum terrarum nationibus atque etiam Aegyptiorum in vulgo ab antiquissimis temporibus, ut videtur, plures dii colebantur, qui cum ex uno absoluto illo Numine, quod non capiebant mentes, veluti particulae quaedam Divinitatis emanavissent, singularumque Naturae partium, Terrae, Ignis, Aquae, Siderum, diversissimi generis quasi signa quaedam iidemque antistites facti essent; postea multas ob causas et augebantur maxime et mutabantur.

Incredibilia sunt fabulisque mirum in modum aucta, quae de Indorum et Aethiopum excursionibus antiquis et de Bacchi, Nini, Semiramidis, aliorum rebus gestis narrantur; nec tamen certe omnino ficta sunt; maxime autem ipsae in alias terras Coloniarum migrationes illae frequentissimae Asiam atque Africam priscis aetatibus singulariter bellis et seditionibus turbatam esse contestantur. Neque in his regnorum populorumque eversionibus potuit fieri, quin etiam rerum divinarum commutationes acciderent gravissimae. Nam interdum victores vi et armis superatorum populorum expulisse deos videntur; quam

qui fugerunt saevitiam, in alias regiones cum libertate sua etiam deorum cultus patrii integritatem intulerunt. Plerumque vero advenarum et pristinorum terrae incolarum religiones inter se commiscebantur, aliaque ab vicinis et sociis ad eas nova accedebant. Quae quidem, ut per se probabilia sunt, ita exemplis plurimis confirmantur, vel in aliorum populorum, vel in Judaeorum historia commemoratis. 1) Atqui illis eiecti turbis, ex pluribus Africae atque Asiae partibus, neque tempore eodem, in Graeciam, terram parvam, coelo soloque maxime disparem et magis etiam ab illis diversam regionibus, confluxerunt Coloni, saepius haud dubie, priusquam eo pervenirent, per alias vagati terras, cum aliisque commisti gentibus, in quibus nova ad eorum sacra accessissent additamenta. Itaque difficilem sane ii suscipere laborem videntur, qui certa demonstratione, in Graecum Bacchum quae ipsa ab Nysio, quae ab Indico, quae ab Phoenicio congesta sint, docere conantur; sed profecto minime eorum probanda ratio est, qui de huius dei cultu sic agunt, quasi omnis ortus

1) De victorum populorum idololatria igni et ferro exstirpanda, multa in Moysis libris praecipiuntur. (cf. Deuter. VII. 5. 25. XII. 3. cett.) De Judaeorum autem religionibus cum alienis vario modo commistis imprimis memorabilia ea sunt, quae de Micha quodam narrantur. (Judd. XVII. et XVIII. cf. Regg. I. 12. 28. sqq.) et de Assa, Josaphat, Iehu regibus, (Regg. I. 15. 14. 22. 44 II, 10, 28. 29) et de Elia propheta, (Jbid. I, 18. 21. sqq) cf. de Salomonis gynaeceo, in quod, fere ut in Graeciam, diversae religiones confluxissent, locum memorabilem (Regg. I. 11. 1. sqq.) et de Aegyptiorum diis ad Herodot. II. 145. Gattererum in Commentt. Gött. t. VII. p. 3. sqq. et Jablonskium de Apide, tauro sacro, in Panth. Aegyptt. II, p. 178. sqq.

inter Graecos esset, neque ulla remotioris originis in eo vestigia invenirentur.

Ego vero, cum dithyrambos, tragoedias, phallica ex peregrinis illis fluxisse religionibus dicam: iam accuratius mihi docendum esse video, quibus fere opinionibus, tanquam fundamentis suis, mea nitatur disputatio. Etenim non equidem Colonos illos eo potissimum consilio in alias immigrasse terras puto, ut deorum suorum eo cultum inferrent; sed, cum varias ob causas reliquissent patriam: illum, quantum poterant, conservabant quidem, et, cum ita res ferebat, etiam propagabant: nec tamen poterant, quin, cum diversis coniuncti gentibus, paulatim sacra sua aut mutarent, aut nonnunquam, oppressi ab aliis, potentioribus, omnino desererent, in eorumque locum nova aliqua reciperent. Gravissima in hoc ea sunt, quae de perpetuis, quibus antiqua Graecia turbaretur, migrationibus ab Herodoto et Thucydide commemorantur, eorumque similia plura apud alios scriptores invenimus. 1) Nec vero adulteratas harum Coloniarum religiones ab aliis, qui postea, ex iisdem profecti terris, iis se adiungerent, advenis, restitutas esse veluti in integrum arbitramur; siquidem et horum instituta saepenumero, quod multis significari indiciis videtur 2), iam diversa erant a vetustioribus illis, neque ii minus, quam alii omnes in novis sedibus turbis, bellis, seditionibus vexabantur, et

1) v. Thuc. I. 2. Herodot. I. 56. sq. et in multis locis Strabonem.

2) Cf. Creuzeri l. l. tom. III. p. 176. sqq.

in communem rerum omnium confusionem protrahebantur. Non igitur eorum sequor sententiam, qui, si forte principio Bacchus Ignem, Solem, Aquam vel aliud quid simile significasset, 1) de quo hic non est locus quaerendi, eandem vim eius etiam in novis sedibus et conservatam perpetuo, et clare perspectam fuisse eius cultoribus opinantur. Imo ego ne sacerdotes 2) quidem tam severe veterem suam retinuisse doctrinam puto, quin alia ex temporibus suis, alia ex coeli Graeci natura, alia alias ob causas conformarent in ea, vel reiicerent, vel assumerent. Scilicet paulatim et ipsi et omnes Coloni illi Graeci fiebant, religionesque suas ita conformabant, ut, cum rerum Graecarum status iam pacatior esset, atque coniunctior quaedam inter singulas gentes oriretur societas 3), Homerus atque Hesiodus ex confusa illa fabularum congerie novam universis theogoniam concinnarent. 4) Accuratiorem vero et subtiliorem vel Bacchi, vel aliorum deorum definitionem serius puto, alii et poetae et philosophi excogitarunt.

Atque, praemissa hac de his rebus nostrae opinionis declaratione, primum de ritibus quibusdam

1) cf. Eiusd. l. tom. III, p. 104. et 117 sqq. cf. 137. In hoc libro eruditissimo, sed parum ad critices severitatem adstricto scite amicus quidam meus pleraque ad eam revocari posse figuram dixit, quam grammatici hysteron proteron vocant.

2) cf. de hoc locos supra ex libris sacris laudatos.

3) Thucyd. I. 8.

4) Herodot. II. 53.

Bacchicis dicemus, quos morem secutae veterem, et recordationis obscura quadam vi ductae gentes illae conservarunt diutissime, nobisque, ad quae cogitationes nostras dirigeremus, tanquam monimenta quaedam et indicia reliquerunt, non spernenda.

Initium a phallo facimus, quem Aristoteles adhuc sua aetate pluribus in urbibus phallicis celebratum esse carminibus docuit. Atque hoc quidem signum, quo genitricem vim Naturae exprimi tam clarum est, ut non egeat demonstratione, non inter Graecos inventum esse, sed in vetustissimis Asiae atque Africae religionibus habuisse originem, convenit inter omnes, qui de varia ratione disputarunt, qua prisca illa aetas de Naturae vi mirabili notiones suas aperire vel potius statuere ante oculos conaretur. 1) In Graeciam vero, hoc est in plures partes 2) eius, phallum cum reliquo Bacchi cultu primus, si Herodoto 3) credimus, Melampus induxit. Neque nostris rationibus id obstat, quod phallus etiam cum Mercurii 4) et aliorum plurium deorum coniunctus sacris erat; verum hoc maxime id comprobat, quod supra posuimus, deorum illorum omnium vim initio patuisse latius, et paucos tantum a singulis Colonis tanquam Naturae praesides esse cultos, et sacra eorum va-

1) cf. praeter alia multa ea, quae de phallo in Jndiae monumentis antiquissimis Heerenius vir celeberr. habet: Ideen über die Politik cet. Th. I. Abth. II, p. 322 sqq.

2) cf. de phallo in Atticam, ubi neglectus diu et contemtus fuisset, mirabili modo inducto Schol. ad Aristoph. Acharnn. v. 242.

3) II. 48. sq. 4.) Ibid. 51.

rio modo inter se commista esse et permutata. 1) Sed praeter Herodoti illum locum ad haec etiam ea faciunt, quae de antiquissima Bacchi celebratione Plutarchus refert in loco iam supra apposito: *Antiquo tempore Bacchanalia rustice et hilariter agebant. Vini amphora et pampinus, tum hircum aliquis trahebat, sequebatur alius, ficuum cistam ferens, post omnia phallus.* In his cum phallo aliud fertilitatis signum, ficus 2), sociatum est, Pindarus 3) autem Bacchum *laetitiae datorem* vocat, *gratisque frugibus arbores fecundantem.* Quae non vereor, ne quis ad recentiorum poetarum ista commenta referat, quippe phalli et ficus hac vicinitate satis contra suspicionem munita. Neque enim Bacchum in Asia vel Africa vini deum fuisse quisquam crediderit, qui vel omnium illorum deorum naturam cognoverit, vel vinum ibi et antiquissimum fuisse, neque tanti aestimatum cogitaverit, cui peculiaris aliquis deus praeficeretur. Sed Graecis illud novum et gratissimum beneficium videbatur, cumque postea ingentis illius deorum turbae ex certis quibusdam legibus poetae quasi rempublicam aliquam constituerent: tum omnium potestas angustioribus limitibus circumscri-

1) Huc et plurimarum urbium regionumque singuli quidam dii, praecipue religione culti, et ex parte quidem bella deorum de certisque urbibus certamina pertinent.

2) cf. Plutarch. de Is. et Osir. p. 442, et de Baccho, ficus inventore, ab eaque Lacedaemone ficulneo cognominato, auctores plures apud Athen. deipn. p. 78. cf. Aristoph. Acharnn. v. 995. sqq.

3) In fragm. ap. Plutarch. de Is. et Osir. p. 440. cf. V. V. DD. ad Pind. fragm. 33. ed. Heyn. t. III. p. 96. et Casaub. l. l. p. 53. sqq.

bebatur, tum Baccho, qui principio universae Naturae fertilitatis rex atque auctor fuisset, modicum vini atque frugum imperium committebatur. Forsitan hinc factum sit, ut non in omnibus Graeciae partibus phallus reciperetur: quanquam verisimilior huius rei inde peti ratio videtur, quod plures in illam terram inducti Bacchi fuissent, cultu suo dispares. 1)

Nec minus his signis, genitalem vim Naturae exprimentibus, ad primam Bacchi potestatem cognoscendam victimae faciunt, quas potissimum ei mactatas esse accipimus. Apud Aristophanem 2) enim hominem habemus hircum et arietem et porcum illi mactantem; itemque Herodotus 3), qui Aegyptia Bacchanalia, quae vocat, in multis admodum

1) Hoc etiam Herodotus significat, (II. 49. sq.) non, quod sumserunt quidam, Bacchi cognitionem ad Graecos ex Aegypto venisse negat. Praeterea vero memorabile in hoc id est, quod Athenienses, qui remotis aetatibus, sicut alii Pelasgi, multa et gravia cum Cadmeis bella gessissent, (Strabon IX. 2, 3. 4.) plura in Bacchi cultu, usitata apud illos, diu respuebant. (cf. Euseb. Chron. p. 283. ed. Maii, cuius cf. adnot.) Eleutherienses autem, cum desciscentes a Boeotis Atheniensibus se adiungerent, ad eos etiam Bacchum suum attulerunt (Pausan. Att. p. 93. ed. Kühn.)

2) Plut. v. 819. cf. Schol. ad Rann. v. 341.

3) II. 48. sq. Plurima in Aegyptiorum Osiridis cultu magnam Graecorum Bacchanalium similitudinem referre, nemo est, qui infitias eat. In quibus aestimandis, ut cautione magna opus sit, errasse tamen Jablonskius videtur, (l. l. I. p. 130. sqq.) cum propterea Osiridem negavit cum Baccho posse comparari, quod Aegyptii vinum inter mala ponerent. Contrarium enim multis locis Herodotus docet, (II. 37. 39. 60.) male ab viro docto etiam in aliis Epiphanio suo et similis notae auctoribus posthabitus. cf. praeterea de Aegypto, vino, ficu, pomo fertili Numer. XX. 5. Quanquam nos quoque, neque Bacchum neque Osiridem illis in terris a vino invento deos factos esse pro certo habemus.

similia fuisse Graecis docet, hunc populum Osiridi porcum immolasse tradit. Gratissima tamen Baccho victima et maxime usitata, hircus erat; cuius rei mira ista in vulgus narrari causa solet, quod vitibus infestum animal ideoque imprimis deo odiosum esset. Patet hanc sacrificii interpretationem non admodum vetustam esse; sed eo ortam tempore, quo Bacchus, deminutus imperio, vini deus a Graecis factus esset. Sed cum diu cantata fabula apud multos quasi veritatis fidem invenerit, atque docti viri plures tam religiose eam repetant, tanquam etiam nunc enuntiare mysteria vererentur: mihi paucis verbis de ea dicendum esse video. Atque haec omnis quaestio ad testes eos redit, qui auctoritate sua caprum propterea, quod vites roderet, Baccho mactatum esse nobis persuadeant. Scilicet Varronem inter eos adducunt, qui in libro suo de Re Rustica 1) haec scribit: „Quaedam enim pecudes culturae sunt inimicae ac veneno, ut istae, quas dixi, caprae; eae enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas. Itaque propterea institutum diversa de causa, ut ex caprino genere ad alii dei aram hostia duceretur, ad alii non sacrificaretur, cum ab eodem odio alter

1) I. 2. 18. 19. A Varrone Servius sua ista pleraque sumsit ad Virg. Georg. II. 380. „Victimae numinibus aut per similitudinem aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus Plutoni; per contrarietatem ut porca, quae obest frugibus, Cereri; caper, qui obest vitibus, Libero, item capra Aesculapio, qui est deus salutis, quum capra nunquam sine febri sit" Ecce mirabilis eruditio! eaque digna Schoettgenii adnot. ad Varr. de R. R. II. 3. 5. unde postrema illa Servii fluxerunt.

videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum, ut Libero patri, repertori vitis, hirci immolarentur, proinde, ut capite darent poenas; contra, ut Minervae caprini generis nihil immolaretur, propter oleam, quod eam, quam laeserit, fieri dicunt sterilem." Mirum profecto est in mortali hoc odio, quod innumeris in gemmis aliisque artificiis hircum non sane hostili modo, sed tanquam collusorem gratumque lasciviarum socium cum Baccho et Satyris invenimus compositum! Nec bene id praetermisit Varro docere, cur caprum potissimum, non item capram Baccho immolarent. Sed ille haec omnia tanquam casu et arbitrio instituta esse posuit; siquidem eius ex disputatione nihil impediebat, quo minus, converso ordine, Baccho nihil caprini generis, Minervae autem capra vel caper mactaretur! Nec plus momenti iis tribueris, quae cum eleganti levitate sua de hac re Ovidius 1) scripsit, praesertim si accuratius de porca Cereri immolanda, ea, quae praecedunt, examinaveris. In Virgilii 2) autem testimonio, quod pro gravissimo habetur, certe id mirum est, quod inter ea, quae maxime nocere vitibus poeta dicit, silvestres uros quidem et capreas et oves avidasque iuvencas enumerat, capri vero nullam mentionem facit. Neque postea, ubi de eo immolando loquitur, istis animalibus eum etiam perniciosiorem vinetis dicit, sed sim-

1) fastt. I. 353. sqq.

2) Georg. II. 380. sqq.

pliciter, nec sane ad fidem faciendam imprimis apte:

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Caeditur,

dicit. Verum, ne longus sim, equidem hanc caprini sacrificii interpretationem, sicuti alia id genus multa, vera latente ratione, sive excogitatam esse a vulgo puto, sive ad captum eius poetarum arte exornatam. Quod cum satis per se probabile sit, egregie de phalli in Bacchi sacris origine commento confirmatur, adeo digno isto comoedia veteri, ut aptius id legendum apud Lucianum 1) volentibus relinquatur, quam a nobis hic enarretur.

Nos autem in antiquam capri cum Bacchi sacris rationem inquirentes, quae sequamur, alia quaedam habemus, graviora, eaque Aegyptiorum atque Judaeorum, quin ipsorum Graecorum e narrationibus petita. Ad hircum Mendesium haec spectare vident eruditi, cuius in veneratione eo dementiae processisse Mendesios accipimus, ut quibuscum coïret, mulieres ei adducerent. Quod cum non solum Herodoti 2) narratione et Pindari 3) fragmento quodam clarissime doceatur, sed etiam Moysis 4) legibus significetur haud ambigue: non erat, quod a quibusdam in dubium vocaretur. Atque hunc hir-

1) Schol. ad Lucian. de dea Syria 16. cf. Aristoph. Acharnn. v. 241 sqq. et 972 sqq. et de phallis in Sacris Cabiriis Lobeckius in diss. de mysteriorum argumentis part. III. Regim. 1820.

2) II. 42 et 46.

3) ap. Strabon. XVII, l. 19. 4) Levit. XVIII. 23. XX. 16.

cum, vivam Mendetis dei imaginem fuisse dicunt; ipsum vero deum istum alii 1) Unitatem, seu Coelum universum, alii 2) Naturam, seu vim genitricem interpretantur; consentiunt vero in eo plerique omnes, quod Aegypti deorum eum omnium fuisse vetustissimum affirmant. Neque praetereundum est, quod nonnulli etiam aliis huius dei simulacris faciem hircinam fuisse memorant; 3) gravius autem id est, quod Graeci eum Pani suo comparabant, postea Aegipani cognominato. 4) Non equidem hunc hircum Mendesium eundem atque Graecum, Bacchicum, fuisse dixerim; sed certe exemplo eius, quae potissimum hirci in antiquis religionibus significatio fuerit, apte docemur. Ut vero omnino diis fere ea mactabantur animalia, quae ipsorum quasi vim et naturam indicarent; (quippe Minervae iuvencam indomitam, 5) Pani in lupercalibus caprum 6), Priapo asinum 7) immolatum esse constat): ita deo, qui aliquando Solis aut Naturae vim genitalem expressisset, haud sane male hircus conveniebat, iste

1) Gatterer l. l. p. 16.

2) Jablonski l. l. I. p. 283. sqq.

3) Id. ibid. p. 272. sqq.

4) cf. ad Herodot. l. l. adnot. Wesselingii.

5) Hom. Jl. X, 293. Od. III. 382.

6) Plutarch. vit. Romuli. 21. Liv. I, 5. Ovid. fastt. II. 441. sqq.

7) Scimus quidem hunc deum inter Graecos valde novum fuisse; (cf. Voss. mythol. Br. II. p. 295. sqq.) nec tamen, siquidem Lampsaceni omnium deorum eum maxime colebant, in Mysia quoque ita recentis fuisse originis videtur. (Pausan. IX. Boeot. p. 771.)

vir-

virque paterque gregis, quem etiam postea quam vini potissimum ille deus factus esset, eo libentius in sacris eius retinebant homines, quo, ipsa lascivia et protervitate sua, animal plebeculae isti laetabundae alio quovis erat aptius.

Bene cum his ea congruunt, quae Plutarchus 1) de Apollinis et Bacchi apud Delphos cultu memorat. Hos enim toto anno paeanibus Apollinem celebrare dicit; ab hieme vero ineunte, per tres menses, nihil eos, nisi dithyrambos canere, neque Apollinem deum invocare, sed Bacchum refert. Mittimus eius instituti Plutarchi interpretationem, subtiliorem; sed id tantum velimus attendi, quod Delphi Bacchum eodem fere anni tempore, tristiore videlicet, hymnis celebrabant, quo Athenienses initio, et Jones etiam postea, sui Bacchi antiquissimi, Limnaei, sacra egisse patet; 2) magna autem Bacchanalia, laetissima illa, Elaphebolione mense, hoc est, vere ineunte, celebrabantur: ut nobis non aberrare a vero videamur, si in his quoque dei cum Naturae vi illa, et languescente et reviviscente coniunctionis antiqua latere vestigia coniiciamus.

Jam vero, postquam satis, ut in hoc loco, de vetustissima Bacchi vi et significatione diximus: de ipsis, quibus prisca illa aetas sacra eius celebrasse

1) De EJ ap. Delph. p. 527. et 529. cf. Aesch. Eumm. v. 24. sqq. et Pausan. Messenn. p. 345. cf. Van Dale, de oraculis diss. prior. p. 178 sq.

2) Anthesterionis mens. d. XII. v. Thuc. II. 15. cf. Casaub. l. l. p. 56. sqq. Forsitan etiam Lacedaemonii sui Bacchi Limnaei sacra eodem tempore egerint. Strabon. VIII, 5, 1. Pausan. Lacon. p. 266.

videtur, cantibus exponendum est. Atque apud Homerum 1) quidem, qui phalli atque hirci nullam mentionem iniicit, furentis Bacchi nutrices thyrsigeras invenimus: in hymnis autem Homericis, qui feruntur, saepius 2) strepitus commemoratur, quocum deus, Bromius ille, eiusque comites per saltus et nemora vagarentur. Non ignoro equidem de Homeri illo loco multa posse disputari; sed certe vetustatis colorem habet, et primam quodammodo dithyramborum significationem facit. Ex entheo enim furore illo et ululatu bacchantium, artis accedente moderatione, hanc poesin ortam esse, omnis eius natura docet, 3) idemque ipsum dithyrambi nomen, quo et deum et hoc poeseos genus vocatum esse scimus, declarare videtur. In ancipiti coniiciendi audacia haec vertuntur, verum est; sed tamen, cum Graecorum huius vocis interpretationes omnes admodum claudicent: mihi proferre aliam licebit, saltem non ineptam. Duxit vero me ad eam Jablonskius, qui in Hecaten inquirens, 4) Epiphanii locum quendam affert, in quo dea ab nonnullis Tithrambo dicitur vocari, nomine, ut ipse vir doctus monet, „cuius vix apud alium quenquam mentionem invenimus." Deinde multa ille, ut solet, fluctuans et incertus disputat, a nobis aliena; sed aptissime

1) Il. VI. 132. sqq.

2) in Bacch. VI. 56. XXV. 10.

3) Egregie ad haec Euripidis Bacchae fabula facit. Imprimis v. 64—169. 582 — 603 et pene omnes chori cantus.

4) l. l. I. p. 104 sqq. cf. Herodot. II. 50. sqq.

ad rem nostram ipsum Tithrambo nomen Copticum interpretatur: ira furentem, vel furorem indentem, eique interpretationi ex Novi Testamenti versione Coptica confirmationem addit, quantum nos sentimus, ignari eius linguae, tam probabilem, ut ex eodem fonte illud Dithyrambi nomen duci posse videatur. Sed de his alii videant, Copticae linguae periti: equidem in eo me contineo, ut dithyrambum ex bacchatione 1) illa et furore ortum esse dicam; nominatum initio, ut fit, ab aliis aliter, tamque varie etiam conformatum, ut veteres eum modo in Naxo insula, modo Thebis, modo Corinthi inventum esse dicerent; 2) ad quod etiam id referas, quod in Marmore Oxoniensi iam Erichthonii aetate Hyagnis, Phryx 3), Matrem deorum, Bacchum, alios deos celebrasse nomis traditur.

Phallica carmina ad phallum pertinuisse ipsum nomen docet; de natura vero eorum antiquissima dictu est difficilius. Atque Athenaeus 4) quidem et Ithyphallos et Phallophoros progredientes composite suos cecinisse cantus refert, idemque lascivo illo in Aristophanis Acharnensibus loco significatur. Neque parva haec fragmenta quidem dithyrambicam illam vehementiam et commotionem spirant, sed aequabiliora sunt, eaque, ex quibus, adiuncta cavillatione, proficisci comoedia posset. Quid vero? quod etiam

1) cf. Plutarch. EI. ap. Delph. p. 528.

2) cf. ad Pind. Olymp. XIII. 25. Schol. V.

3) cf. l. supra l. et Plutarch. de mus. init. 4) deipn. p. 622.

ea, quae Herodotus de Aegyptiis illis, quae vocat, Bacchanalibus tradidit, tranquilliorem phallicorum indicare naturam videntur? Etenim mulieres simulacra per vicum circumferentes cubitalia, phallis magnis, iisque mobilibus instructa, ad tibiarum sonum Bacchum, hoc est, deum illum suum, canebant. Parum id congruere cum iis videtur, quae de furore Bacchico antiquae narrationes pene omnes referunt. Sed primum cogitandum est, in his rebus ea potissimum commemorari, atque etiam augeri solere, quae novitate quadam maxime omnium animos percellant; alia, minus mirabilia, fere praeteriri silentio. Deinde vero, etiamsi bacchationes illae entheae non solum ad Nysium et Asiaticum Bacchum pertinuisse 1), verum etiam cum Cadmeo coniunctae fuisse videantur: non tamen reiicienda esse ea puto, quae aut alium quendam, moderatiorem, dei cultum significent, aut saltem non omnia apud omnes in eo cum furore acta esse declarent 2). Cuius generis verbi gratia illa sunt, quae Plutarchus in Bacchi sacris enumeravit, vini amphora, palmitis sarmentum, ficuum cista, hircus, phallus: quippe quae non actioni et furori, sicut thyrsi, angues illi, cetera conveniant, sed graviores atque severiores Bacchi religiones significent.

1) cf. Strabon. XI, 4, 7. X, 3, 9. sqq. Samuel. I. 10, 10.

2) Vid. plura huc pertinentia ap. Creuzer. l. l. II. p. 78. sqq. et III. p. 161. sqq. et Plutarch. Quaestt. Gr. XXXVI. p. 299. B. et de Is. et Os. p. 495. ed. Reisk. et apud Pausan. in Eliacc. quod Narcaeus, Bacchi filius, primum Minervae templum condidisse, deinde patris instituisse honores dicitur.

Jam vero, si quaeras, quid potissimum propositum his phallicis carminibus fuerit: id ex parte quidem, opinor, ipsis illis, quibuscum circumferri phallus soleret, signis indicatur; distinctius vero idem vel Ithyphallico isto apud Athenaeum fragmento, vel lascivis Comici versibus, vel denique Aegyptiorum illis simulacris declaratur, de quorum membris ingentibus et neurospastis Herodotus *hiron logon* esse dicit: nimirum phallicis et Aegyptii et antiqui Graeciae incolae fecundantem omnia deum laetumque frugum datorem celebrabant.

Reliquum est, ut de tragoediis dicam, nominatis, quod clare ipsa vox graeca docet, a cantibus ad hircum pertinentibus. Atque fuerunt, quibus haec nominis explicatio tam inepta videretur, ut eam ex aliis quibusdam ducendam radicibus censerent, pluribus in linguis tristitiam exprimentibus. 1) Verum, ut argumenta, quibus hanc confirmari putaverunt sententiam, infirmiora sunt: ita illa vocis interpretatio tantam habet verisimilitudinem, ut in dubium vocari fere nequeat. Nam primum cantuum post sacra facta editorum, ut taceamus de posteriore tempore, et apud Homerum 2) exemplum est, et antiquius etiam in Judaeorum vituli istius aurei veneratione 3) nos habere quis est, qui nesciat? Deinde vere no-

1) cf. Adelung. lex. germ. v. Tragödie.

2) Il. I. 467. sqq.

3) Exod. XXXII. 6.

minum cantionum ductorum ab iis rebus, quibuscum coniunctae essent, exempla plura exstant: veluti oschophorica et tripodophorica novimus ab oschophoriis et tripodibus nominata 1), atque in ipsis Bacchi rebus phallica ab phallo nomen acceperunt. Tragoedias autem tristes cantus vel luctus fuisse puto, in hirco immolando editos, sicuti etiam in reliquo Bacchi cultu tristitiae et luctus indicia non pauca deprehendimus. 2) Sed, quod antea hircum sociatum cum phallo vidimus, eiusque ritus clarissima in Aegyptiorum sacris mentio fit: id etiam hanc quaestionis nostrae partem ad illum revocare populum videtur. Cum Aegyptiorum enim pluribus sacrificiis planctus coniunctos fuisse apud Herodotum legimus 3); quanquam, cur ita hoc institutum fuerit, dicit nefas sibi esse exponere. Scilicet de his quoque *hiros logos* fuisse videtur; neque is, qualis fere fuerit, difficile divinatu est cogitantibus ea, quae supra vel de Mendesio hirco, viva Mendetis dei imagine, vel de Graecorum pluribus victimis commemoravimus, deorum, quibus mactarentur, quasi naturam exprimentibus. Is igitur hircum plangendi mos, si ab Colonis illatus in Graeciam fuerat, postea, cum magis et magis prima illa vis Bacchi obscuraretur, ita paulatim, puto, commutabatur, ut, hirco mactato, alia quaevis

1) cf. Phot. bibl. p. 989.

2) cf. Suid. v. chytroi. et Dionys. Hal. A. R. p. 91. Plutarch. de Is. et Osir. p. 439.

3) II, 40. 42. 61.

tristia canerentur ad Bacchum pertinentia, quorum copiam constat fuisse maximam. 1)

Verum his, quae disputavimus, maxime eorum adversatur sententia, qui Naturae eiusque partium vim et varias vicissitudines singulorum deorum numine ab philosophis demum, Epimenide, Onomacrito, aliis expressas esse docent; ante Homeri tempus tales, quales nos descripsimus, religiones exstitisse in Graecia maxime propterea, ut videtur, negant, quod apud hunc poetam Naturae vis infinitae illius atque aeternae nulla usquam reperiatur significatio. 2)

Falsa, si quid ego video, haec sententia est, et ab omni verisimilitudine, quantum maxime potest, destituta. Etenim primum nemo infitias iverit eas religiones, quas expellere isti ex Graecia conantur, in Africa et Asia fuisse antiquissimas. Phalli autem et hirci et hederae et ficus et aliorum potestas illa nobis quidem esse talis videtur, quam, qui antiquissimis aetatibus inventam esse negaverit, eum etiam scripturae omnis antiquae et hieroglyphicorum negare veritatem oporteat. Quis vero non

1) Consentire mecum de tragoediae origine Creuzerus videtur, Vir Celeberrimus; siquidem in l. l. tom. I. p. 207. haec habet: „Daher denn selbst die ursprünglich aus altem Naturdienst hervorgegangene Tragoedie und Komoedie diesen öffentlichen Geist verrathen." Certe proxime antecedens eius disputatio fere mihi persuadet, nos a diversis sane egressos principiis in eandem convenisse sententiam.

2) Fr. Schlegel Gesch. d. Poesie d. Gr. u. Röm. p. 16. sqq.

sentiat, plurima in his, quae nobis subtiliora vel obscuriora videantur, illis gentibus, et alio sub coelo natis et sensuum vi atque ardore aliter ac nos commotis, maxime familiaria fuisse et ad res, quas cupiebant significare, paratissima? Atqui illis ex terris remotissimo tempore multas in Graeciam Colonias immigrasse isti concedunt: num igitur eas, simul ac pervenissent eo, patrias suas deseruisse religiones atque novas, nescio quas, secutas esse affirmabunt? Mirum istud quidem et inauditum foret; hoc vero ne cogitari quidem potest in ea, qua tunc Graecia omnis obruta erat ignorantia et barbarie. Sed fac illos Colonos omnes, in itinere videlicet, suorum oblitos esse deorum, atque subito, quasi noctis ex tenebris, poetarum et Homeri effulsisse sapientiam: quibus tandem e fontibus Epimenidem atque alios illam suam hausisse eruditionem docebunt? Nimirum Aegyptiorum sacerdotes, peregrinorum et Graecorum omni tempore amantissimi, haec universa iis tradiderunt et sacra, non solum sua, sed Jndica, Libyca, alia iis omnia revelarunt! Credat Judaeus Apella! Sed vide, quam ineptum illi nobis Epimenidem exhibeant, virum, quem tota Antiquitas consentit fuisse sapientissimum. Quippe ab Solone, familiari, ad legum urbi ferendarum societatem accitus ille, cum venisset Athenas, ante omnia ad luctum cives fecisse moderatiores fertur 1), sacrificiis quibusdam statim ad exsequias additis, et semota asperitate barbarica, qua ma-

1) Plutarch. vit. Solon. c. 12.

xime mulieres dolorem suum tunc exprimerent. Atque hic vir Bacchicos luctus, insanos illos, et furores et phallos et similia in patriam suam introduxerit, vel probaverit, vel a finibus eius irruentes non, quavis posset, arte et religione propulsaverit! Quae vero de Epimenide persuasa habemus, ea ad omnes illius aevi sapientes et philosophos pertinent. Scilicet non illi tunc tandem has religiones attulerunt in Graeciam; sed invenerunt eas, dudum ante se vulgi superstitione receptas et consecratas; quod vero semper secutos esse Graecos videmus, ut fabulas aut ritus probatos civibus non fere penitus reiicerent, sed e rationibus suis prudenter conformarent 1): id etiam illos tum in vulgi religionibus moderandis, tum in mystica doctrina seu instituenda seu emendanda maxime propositum habuisse existimamus.

Sed iam de Homeri poesi dicendum est, ab Asiaticis illis et Africanis religionibus alienissima. 2). Videlicet alia ille poeta numina habet, quae deorum hominumque, quae fatorum, quae morum, quae male beneque factorum curam gerunt: Moeras, Aten, Erinnyes 3), non, puto, faciliores inventu Naturae illis, Solis, Lunae diis; neque profecto religionum in-

1) cf. Vossium Virum Celeberr. Mythol. Br. Th. II. p. 123 et 247. sqq. et Creuzeri l. l. tom. I. p. 212.

2) Praetereo multa, quae ex Homeri carminibus apte referri in hac quaestione possint, e. g. plures sacrificandi ritus atque alia in Inferorum cultu et in magicis artibus commemorata.

3) Erinnyes, quod dignum observatione est, hoc nomen accepisse in Arcadia dicuntur, (Pausan. VIII. p. 649.) eadem in terra, quae, ut antiquissimum et summum deum, Pana colebat.

ter universas gentes et originem et progressum consideranti mihi esse dubium videtur, quin prius homines cane, hirco, asino, phallo, rudibus conatibus procreatricem vim Naturae expresserint, quam eo pervenirent, ut ad pacem quodammodo laetamque societatem revocatos deos in Jovis regiam epulatum deducerent, eosque, cum Homeri festiva elegantia tales conformarent, qui, ab immanitate barbara in gratam hominum adducti consuetudinem, tum vulgi praeclare vitam regerent et emollirent, tum cultioribus ingeniis, quasi poeseos signa et instrumenta quaedam, in cogitationibus suis inventisque inservirent docte et scite enuntiandis.

Nec vero omnino de his recte quisquam posse iudicare videtur, nisi qui, quantum interfuerit inter Jonicam et Doricam poesin bene perspectum et infixum animo habuerit. Inter veteres enim iam Plato Homerum maxime Jonibus sua composuisse carmina docuit 1), nosque, cum ex iis Graeciae partis quidem haud exiguae, Pelasgicae 2) praecipue, mores atque instituta egregie cognoscamus: de aliis partibus eius, et de mutationibus post reditum Heraclidarum factis, pene nullum ferre iudicium possumus. Quamobrem, si ex silentio omnis admodum incerta est argumentatio: qui non temeraria et explodenda eorum ratio videatur, qui, quoniam dei alicuius nulla apud Homerum mentio fiat, eum neque in reliquis Graecis

1) de legg. III. p. 113. ed. Bip. cf. Max. Tyr. diss. XXIII, 5.

2) cf. Strabon. V. 2, 4. VIII, 6, 5.

usquam fuisse cultum asseverant? Imo omissa aut levius commemorata apud hunc poetam plura sunt, quae dudum ante eius aetatem recepta etiam in Jonibus fuisse constat: veluti Bacchum antiquissimis temporibus Athenis templum habuisse bonus sane testis Thucydides tradit 1), eiusque dei sacerdotes feminae erant 2); in Homeri autem carminibus dei Bacchi nympharumque, comitum eius, semel tantum et quasi praetereundo fit significatio 3). Sed, qui accuratius huic poesi studium navarunt, consentient nobiscum, opinor, multa in ea multo adhuc labore illustranda esse, priusquam certo queat constitui, qua ratione et qua fide eius de Antiquitate uti testimonio liceat. In hac autem quaestione grave indicium nos illud habemus, iam supra commemoratum, quod Herodotus Homerum et Hesiodum Graecis

1) II, 15.

2) cf. Van Dale de pontif. Max. in dissertt. IX. Antt. inservient. p. 208. sq.

3) Bacchus apud Homerum neque in pugna illa, neque in conviviis deorum nominatur: neque Dione, (Il. V. 381. sqq.) ubi plurium deorum tristes casus enumerat, eius mentionem iniicit. Quid vero? quod etiam Cereris apud hunc poetam laus tenuis est, (cf. de Artemidis honoribus Il. IX. 533. sqq. et Herodot. IV. 33.) cuius, diu ante Colonos in Asiam deductos, Eumolpus templum fecisset, postea, si Aristidi credimus, (in Eleusin. p. 257.) ab Doribus concrematum? Nonne hinc, ne Eumolpi quidem religiones neque Cereris venerationem ab Atticis vel Jonibus omnibus receptas esse colligas? Certe Erechtheus, ut Minervae gratissimus mortalium, apud Homerum saepius laudatur (Od. VII. 81. Il. II. 547.) isque postremo quidem cum Eumolpo societatem iniisse, initio vero bellum gessisse ab Thucydide narratur. (II. 15. cf. Apollodor. III. 15, 4.) Atque id genus alia sunt sexcenta!

primum Theogoniam fecisse refert. Nimirum uterque poeta, partim rei naturam secutus, partim, ut videtur, certo ductus consilio, religiones atque fabulas suae gentis innumeras et fluctuantes ad unitatem quandam constantemque formam revocabat. In quo, si pauca quaedam excogitasse ipsos ponimus: plurima sine dubio invenerunt, longa temporum serie aliorumque arte facta et comparata: ut maxime fortasse in eo meruerint, quod, ne qua aut omissa aut narrata odiose viderentur, alia reticuerunt, alia commutarunt, alia cum aliis, quemadmodum id fieri optime poterat, seu coniunxerunt seu miscuerunt. 1) In omnibus autem maxime illi suae se probare genti studebant 2), neque ignorat quisquam, in antiquissima illa et perpetua Dorum et Jonum dissensione, magnam illorum partem sero demum Homeri apud se admisisse carmina. 3)

Quae vero egregie Heraclides Ponticus 4), mu-

1) Haec satis clare ipsius Herodoti verbis significantur. Quaeri autem possit, annon incestuum et scelerum, quibus referta est graeca mythologia, inauditorum, magna pars ab Homero sapienter omissa potius, quam a tragicis illata in eam et inventa sit. (cf. Hom. vit. ed. Ern. p. 256. et Plutarch. Thes. XVI.) Certe alias fabulas vetustissimas, ut videtur, consilio praetermissas ab Homero, etiam Aristoteles significat (poet. VIII. 3. cf. Strabon. X, 4, 8.) Comparari cum his Pindarus potest, ex antiquis fabulis indigna foedaque removere cupiens. (Ol. I, 35. sqq.)

2) Hoc oblitum Plutarchum videmus: De Herodoti malignitate p. 404.

3) Thucyd. II, 15. I, 6. VI, 82. cf. Strabon. VIII, 7, 1. et Herodot. V, 67. cf. Max. Tyr. diss. XXIII, 5.

4) ap. Athen. deipn. p. 624. sq.

sicae inter Graecos explicaturus diversitatem, de Jonum atque Dorum ingenio et moribus disseruit: iis nos aptissime etiam ad aliorum utriusque gentis institutorum et poeseos rationem utemur explanandam. Jones enim, quos Homeri aetate iam coelo suo mirabiliter emollitos fuisse et vivendi facilitati cuidam luxuriaeque indulsisse videmus, ille gentem admodum ferocem initio, nullaque lenitam humanitate fuisse docet; Aeoles autem tumidos et confidentes fuisse scribit, ad dissolutius vivendi genus, amores, vinum pronos; idemque Doribus virilem gravitatem et magnificentiam tribuit, cum vehementia atque acerbitate quadam et tristitia coniunctam. Atque Jonicae quidem poeseos et Homeri et aliorum monimenta exstant clarissima; de Doribus autem et Aeolibus tam tenuia et rara, praesertim ex remota ista aetate, ad nos pervenerunt indicia, ut nonnisi coniiciendo vel divinando pauca quaedam, eorumque plura probabilia magis, quam certa possimus extricare. In quo, ne quis id, quod coniunctim Aeoles et Dores nominaverim, vitio mihi vertat: Herodoti me tueor auctoritate, uno utrosque Dorum nomine ab Jonibus distinguentis. 1)

Ac primum magni id ipsum mihi momenti esse videtur, quod, sicuti Jonica poesis, exceptis paucis quorundam elegiacis conatibus, maxime epica erat, atque in aequabili illo suavique narrandi genere versabatur: ita Aeolica et Dorica poesis, lyrica fere

1) I. 56.

omnis, animi sensus motusque varios, rhythmo eo exprimebat, qui ipso tanquam ingressu atque sono suo ad eosdem sensus audientium animos excitaret. Mirus viderer, si de Alcaei, Sapphus, Alcmanis, Pindari ardore, impetu, perturbatione, sublimitate me docere quicquam, quasi novum, opinarer. Sed id tamen monere licet, quanquam ne de eo quidem quisquam dubitaverit, quod eiusmodi gentes, certe in religionibus suis et in poesi non fere leves esse solent, vetustorum negligentes, novorum cupidae; sed, quasi grato animo, ita vetustissima quaeque maxime colunt, ut amoris vehementia gravissime commoventur; quaque sensuum vi ad tumorem facillime efferuntur, eadem maxime mirabilia et abstrusa quaeque studiosissime affectant. In quo non praetermittendum est, quod Herodotus 1) antiquis aetatibus Dores coniunctissimos cum barbaris fuisse tradit; Heraclidarum vero tum in Lydia tum in Mysia imperia commemorantur. 2) Quae si qui, Junonia interpretatione, in suspicionem vocaverit, tanquam se-

1) l. l. et ib. 58.

2) Herodot. I. 7. Apollodor. III, 9, 1. In antiquissima Graeciae historia sine dubio multa postea inventa et ficta sunt a viris sapientibus, qui omnes illius terrae incolas e diversissimis ortos et commistos populis, quo arctiore unitatis vinculo coniungerentur, ad communem aliquam revocare originem studebant. Huc de Deucalione et filiis eius narrationes et similia referenda fuerint: quibus omnibus sic optime puto in veritate utemur indaganda, ut non tam nominibus sive heroum sive ipsarum gentium nimis inhaereamus, quam universe id, quod iis tribuatur, aliquando et aliquo in loco gentibus illis, quae aut incolerent Graeciam aut in eam alicunde immigrarent, evenisse statuamus.

rius, quippe quibus antiquam suam gloriam augerent, ficta vel amplificata ab Doribus: certe id concedendum erit, Heraclidas et Dores habitasse aliquamdiu in iis terris, ex quibus potissimum enthusiasticum deorum cultum transiisse in Graeciam pro comperto habetur.

His igitur causis et earum similibus videtur factum esse, ut, cum Homerus, quantum posset, ad humanam naturam, pulcherrimamque et suavitatem et sublimitatem deos conformaret, immanibus et foedis fabulis reiectis: alia in hoc Doribus ratio probaretur. De quorum fabulis, quandoquidem ea, quae ex lyricorum poesi vel ex tragicis colligere possimus, incertiora sunt, quam quibus magnam in hac re auctoritatem tribuas: gravius id est, quod Hesiodus, qui et Cumis, in Aeolia natus et ex Homerica profectus disciplina esset, in Theogonia sua nec Cetus et Phorci progeniem aspernatur, monstruosam, et Saturni ex genitalibus exsectis 1) Venerem et Nymphas et Gigantes et Erinnyes producit. Idemque poeta ex vetustissima traditione Saturnum habet, progeniem suam devorantem; Metin vero, Minerva gravidam, apud eum Jupiter, fere ut in femur Bacchum, in ventrem suum recipit, indeque postea Minervam edit. Non abhorrere ab hac poesi tragoediae illae, et phallica carmina et alii ritus videntur, quibus nos antiquitus Bacchum in Grae-

1) cf. praeclare de his disserentem Fr. Schlegelium Gesch. d. Po. d. Gr. u. Roem. p. 186, sq.

cis cultum esse posuimus. 1) Neque parvi in hac quaestione id facio, quod Hesiodus genios habet, hominum tutelares, Homero ignotos; sed receptos eos et maxime excultos in Romanis, Aeolica ab gente oriundis. Cognatissimus enim cum iis semideorum honos erat, cuius, si recte Schneiderus in lexico suo 2) unum, qui apud Homerum est, de semideis locum supposititium esse statuit, originem ad Dores revoces, quippe qui non solum Bacchum atque Herculem, natos inter se, ut postea fingebant, veneratione summa prosequerentur; sed ipsi etiam fuisse primi dicantur 3), qui tragoediis et fortasse etiam dithyrambis mortalium fata celebrarent.

At vero ii, qui et poesin et has religiones omnes heri aut nudiustertius inventas esse in Graecis docent, quasi grave quoddam de antiquissima tragoedia testimonium ista nobis opposuerint, Maximi Tyrii: 4) *Antiqua Atheniensium Musa, chori puerorum et virorum erant: agricultores, pagatim congregati, ab messe et aratro pulverulenti, cantus canentes extemporales. Conversus autem animus est ad artem, insatiabilis voluptatis, scenicam et thea-*

1) Sic apud Hesiodum choros tibiae ducunt, (Sc. Herc. v. 281.) apud Homerum autem in vindemia ad citharae cantum saltant. (Il. XVIII. 569.) cf. quae de his egregie disputavit Zinserlingius V. Celeberr. in Pythagoras - Apollon. init.

2) v. heros. cf. Bentleium ad Il. XII, 23. Quanquam nos, ut libere sententiam dicamus, ad talia recte iudicanda nondum satis certa Homericae criticae iacta esse fundamenta putamus.

3) cf. quae de his p. 44. sqq. disputavimus.

4) diss. XXXVII, 4. cf. Casaub. l. l. p. 12. sq.

theatralem. Quid enim? argumentantur, nonne aperte haec ineptiarum eos arguant, qui ante scenicae artis inventionem, id est, ante Thespidis aetatem, cultiorem quandam fuisse Bacchi celebrationem sumunt? Imo nos, qui vel maxime in eo admirari Graecos solemus, quod sapienter a festorum suorum laetitia aerumnae et laboris omnem recordationem habere remotissimam volebant, in istis, quibus sic, illotis pedibus manibusque, homines dei celebrasse sacra narrantur, umbratilem nobis agnoscere grammaticum videmur, ipsa natura sua et vivendi ratione ab genuino antiquitatis sensu alienissimum 1). Colonos autem illos, qui ex Asia et Africa immigrassent in Graeciam, non silentio suos coluisse deos; sed carmina quaedam, in eorum laudem canenda, secum attulisse ex patria vel choreae et cantiones illae significant, quas circa vitulum saltantes cecinisse in desertis Judaeos accipimus. Nec sane, quae de Thraciae 2), Thessaliae, Boeotiae Musis et poeseos flore antiquissimo feruntur narrationes, quoniam fabulis auctae praeter veritatem sunt, omnino pro inanibus et falsis sunt habendae. Imo plurima et gravissima apud veteres indicia exstant, quae artium cultum vitaeque elegantiam non omnem ortam esse in Asiaticis Graecis probent, verum tra-

1) Verius multo Horatius in simillimo loco vetustos agricolas describit dies festos agentes Ep. II. I. v. 139. sqq. et Tibullus Elegg. I, 7. 37. sqq. II. I. 51. sqq.

2) cf. Plutarchi dissertat. de Mus. init. et Aristotelis poet. IV. 8. sqq.

ditam a maioribus cum iis immigrasse in novas sedes atque laetius ibi effloruisse nobis persuadeant. Siquidem hoc et Minois atque Agamemnonis potentia illa et instituta plura declarant, et Athenienses iam ante Colonos in Asiam deductos lautius vixisse videntur, neque levia in hoc ea sunt, quae de Corinthiorum opulentia antiqua et de Orchomeno traduntur, urbe multis ante Troianum bellum saeculis florentissima. 1) Ipse autem Homerus Thamyrae, Thracii poetae, mentionem fecit; alios quod silentio praetermiserit, nemo mirabitur, qui inter diversas Graeciae gentes aemulationem illam cognoverit, non in poesi solum, sed in aliis etiam omnibus rebus pene incredibilem.

Profecto multa disputari de ea quaestione possint, quaenam Homeri carminum cum reliqua poesi graeca fuisse ratio videatur! Nos vero, ne nimium aberremus a proposito, duos tantum ex iis locos huc afferimus, unum illum, qui vindemiarum cum saltatione et cantu descriptionem continet 2) elegantissimam; atque alterum, etiam splendidiorem, in quo poeta iuvenes inducit cum puellis chorum ducentes ei similem, quem aliquando in Cnosso ampla Daedalus Ariadnae concinnavit venustae. 3) Atque in priore quidem illo loco iuvenis unus inter vindemiatores citharae ad sonum non hoc vel illud, ne-

1) v. Thuc. I, 4. sqq. Hom. Il. II, 570. cf. Boeckh. Staatshaushalt d. Ath. II, p. 366. sqq.

2) Il. XVIII. 561. sqq.

3) Ibid. 590. sqq.

scio quid, canit, neque, ut est apud Aristotelem, ex tempore fusis cantibus ad laetitiam animos excitat; sed certum quoddam carmen, Linum cantat. De quo praeter alia, quae tradiderunt veteres, ad nos id maxime pertinet, quod Eustathius illud nomen accepisse ab auctore Lino refert, Thebano; cani vero id solitum esse pariter in tristibus et in laetis rebus docet, nimirum simili fere more, ut supra ab sene isto Attico, in potu et laetitia, tragoedias saltatas esse vidimus, natura sua tristes. In altero autem Homeri loco primum, sicuti in hoc, de quo diximus, vetustam aliquam saltationem, eamque Cretensem habemus, Daedaleam, cum actionis quadam imitatione, ut videtur, coniunctam. 1) Praeterea vero graves et observatione digni saltatores illi duo sunt, qui seiuncti ab choro et rotantes, tum artis eius cultum antiquissimum 2) declarant; tum quodammodo Curetum et Corybantum furibundae illius saltationis imaginem referunt, Jonia elegantia scite moderatae 3); tum denique egregiam actorum similitudinem habent eorum, quos Aristoteles ex tempore editis suis cantibus, dramaticae artis invenisse originem docet.

1) Mirabilis etiam Phaeacum illa saltatio est, (Od. VIII. 250—370.) de qua poeta sic loquitur, ut lepidae cantionis saltem partem aliquam imitatione expressam esse coniicias. Scilicet egregie res convenit festive luxurianti illi Phaeacum populo! Quam vero hae Jonicae actionis imitationes longe ab Attici dramatis severitate sunt remotae!

2) cf. Hom. Il. XXIV. 261. Od. VIII. 250-380.

3) Etiam Il. XVIII. 494. memorantur Juvenes saltatores ad tibiarum citharaeque sonum rotantes.

Jam vero harum quaestionum mihi finem faciendum esse video et, breviter eorum, quae hactenus disserui de Baccho, summis appositis, ad ulteriora esse progrediendum.

Atque ego quidem initio Colonos illos Bacchum religionum cantionumque illarum vel laetarum vel tristium parte maxima ut fecundantem omnia deum coluisse censeo. Postea vero, ut prima haec Bacchi vis sensim obscurabatur et Graecum ad coelum ingeniumque confingebatur: ita de eo homines, sicut de omnibus diis suis, fabulas tum vetustas conformabant, tum novas inveniebant, quibus seu victorias et triumphos, seu casus dei celebrarent, eo plures hos quidem et graviores, quo infestius in multis Graciae partibus ipsi accepti Coloni essent, qui primum eius secum venerationem attulissent. Cultum vero Bacchi cur perverterent, causa nulla erat; sed cum prisca simplicitate Graeci, quibus antea varias Naturae vicissitudines prosecuti erant cantibus et ritibus, iisdem iam vini inventoris dei sacra agebant, et, sicuti antea cum planctu caprum immolaverant, ita nunc, eadem mactata victima, varios Bacchi casus cantitabant 1), nomine cantuum, ut diximus, ab hoc ipso animali capto. 2) Postquam

1) Ad haec illa Euanthii seu Donati faciunt: „Incensis iam altaribus, et admoto hirco, id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, Tragoedia dicebatur. -- Tragoedia fuit olim simplex carmen, quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus nunc consistens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat.

2) Quando hoc nomen inventum sit, quamque usus eius constans fuerit, nescimus; comoediae autem et trygodiae nomen latius patuisse

vero diu dithyrambis et tragoediis Bacchum potissimum celebraverant: homines illi, patriae gloriae atque heroum suorum studiosissimi, nihil se detrahere deo existimarunt, si illorum ad memoriam augendam eius adhibere honores conarentur. Atque eius rei exemplum certum Adrasti choros illos tragicos habemus; itemque Epigenes tragoedias non in Bacchum fecisse, sed in heroes videtur. Memorabile est vero, quod et hic poeta Sicyonius vocatur et eadem in urbe Adrasti illi chori edebantur. Scilicet haec ipsa fuisse causa videtur, cur Sicyonii, qui primi ad heroum casus tragoediam convertissent, e more Antiquitatis se invenisse eam gloriarentur. Quod quoniam etiam tunc faciebant, cum maxime Attica floreret tragoedia: tum in aliis aliquam inter utramque intercessisse similitudinem colligimus, tum Sicyoniae tragoediae, lyricae, item atque Atticae, dramaticae, Satyros adiunctos fuisse coniicimus. Quae coniectura tantam habet verisimilitudinem, ut modo non possit pro veritate poni. Ea enim institutio et omnis Bacchici cultus ratione probatur, cum Satyris coniunctissimi, et ab Aristotele significatur, Atticam tragoediam ex satyrico genere natam esse dicenti, et maxime dithyramborum probabilis redditur similitudine, ut quibus, itidem ad heroes a Baccho deflexis, poetas adiunxisse Satyros legimus. Nec vero magni id momen-

saepiusque positum pro illo esse, verisimillimum videtur. cf. Schol. Plat. supra laudatum et Bentl. l. l. p. 322. sqq., cui in hoc loco plane assentimur.

ti est, quod Satyros ab antiquissimis poetis, hoc est, ab Homeridis, neglectos esse vidimus. Nam primum horum silentium quanti faciendum sit in hac causa, supra demonstravimus; deinde vero, ab arte licet Satyri inculti essent; noti tamen in pluribus Graeciae partibus, veluti in Arcadia, inde ab remotissimis fuisse temporibus videntur; neque dubiam eorum mentionem Hesiodus facit 1), testis non contemnendus.

Quid igitur? num illi errarunt omnes et ineptiverunt, qui tragoediam Icariae, Attico pago, in vindemia ortam esse affirmarunt, Athenaeus et in Minoe Plato, qui vult videri, et Maximus Tyrius, et alii, secuti eos, pene innumeri? Arrogantiae haud sane parvae fuerit, nostra aetate insipidi erroris viros arguere, qui non certe ex somniis suis ea docerent, quae aequalibus non legenda solum proponerent, sed iudicanda! Verum, quod iam supra indicavimus, in re singulariter obscura et impedita illi viri, partim Athenarum studio suo, partim specie ducti falsa, partim aliorum decepti auctoritate, res confuderunt et, cum propiora quaedam reperirent, credita ab plerisque, neglexerunt veriora. Atque dramatica ista rudimenta, non Athenis Jcariam, sed hinc Athenas profecta esse constanti totius Antiquitatis testimonio probatur. Nec tamen, in quo potissimum errasse veteres illos dico, cultus Bacchicus inventus in isto pago, sed allatus in eum a peregrinis erat, quos, antiquis temporibus, frequentissi-

1) In fragm. ap. Strabon. X, 3. 19.

mos, aut bello aut seditione eiectos ex patria, praecipue in Atticam immigrasse Thucydides tradidit. 1) Qui quidem, ut tum inter suos potentissimi fuerant, tum in novis sedibus humanissime excipiebantur, ita non certe in pristinis institutis suis et religionibus quicquam commutarunt, sed eo cum studio eaque cum libertate retinuerunt omnia, ut forsitan non erraverim, si hinc maxime deorum festorumque dierum in Attica provenisse multitudinem dicam pene infinitam! Cum vero illorum sacrorum plurima non ad publicum honorem adhiberentur, sed ut gentilia in singulis tantum aut pagis celebrarentur aut familiis: accidit brevi, ut privatorum commissa studiis, antiqua et iusta solennitate sua carerent. Hoc igitur in Bacchi quoque cultu Dorico illo et in tragoediis evenisse arbitror, quae, diu Icariae solum et a rusticis editae, sero demum ita se Atheniensibus probarent, ut mutatae aliquantum in summumque provectae honorem, novum, idque omnium splendidissimum, poeseos genus constituerent.

Haec habui de tragoedia lyrica vel Dorica, quae dicerem; nunc vero ad dramaticae sive Atticae origines progredimur investigandas, etiam eas erroribus et commentis plurimis turbatas quidem, sed multo tamen minus illis, Doricis, impeditas.

Atque initium quaerendi, quandoquidem de inventore eius, Thespide, satis constat 2), ab nomine ar-

1) I. 2. 2) v. locos de eo congestos ap. Bentl. in. l. l. p. 276. sqq.

tis facimus, de quo, cum nostram sententiam iam supra tulerimus, non possumus ea praetermittere, quae, qui dissentiunt a nobis, de eo suis e rationibus disputarunt. Bentleius enim de eo haec scripsit: 1) „Testimonium nullum habet (Boyleus) eius, quod hinc fingat, nomen tragoediae tam esse antiquum, quam ritum Baccho hircum sacrificandi. Sunt, contra, testimonia luculenta, quibus pateat, non esse antiquius, quam quando hircus praemio certaminis poetis daretur. Ut praeter loca, ante citata, Eusebius in Chronico: *Certantibus in Agone Tragos i. e. hircus, in praemio dabatur.* Sic Diomedes grammaticus: *tragoedia a trago et ode dicta, quoniam olim actoribus tragicis*, tragos, *id est*, *hircus*, *praemium cantus proponebatur.* Etymologicum M. *Nominata est tragoedia, quia tragos cantui praemium propositum erat.* Philargyrius, ad Virgilii Georg. II. 183: *Dabatur hircus praemii nomine*, *unde hoc genus poematis tragoediam volunt dictam.* Quae reliqua sunt de nomine, tragoedia, opiniones reiiciendae sunt et explodendae. Sed si vera haec est; nomen non potest esse antiquius tempore Thespidis, qui primus de hoc praemio certavit." Quibus nos iam adiungimus locos, antea ab Bentleio allatos, et ex Marmore Arundeliano illum: *Thespis primus, qui tragoedias docuit . . . hircus praemium propositum,* et ex Dioscoridis epigrammate eodem, de quo supra diximus, verba: *cui hircus praemium*, et ex Horatii epistola

1) l. l. p. 316.

ad Pisones haec:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Addere etiam Platonis Scholiasten licet et Euanthium sive Donatum et alios, qui omnes tragoediae praemium hircum fuisse, ex eoque nomen eius inventum esse contestantur. Fac igitur, in hoc iis fidem habendam esse: num ideo confirmant id, quod Bentleius posuit: Thespidem fuisse primum, qui de isto praemio certaret, atque eius demum aetate nomen tragoediae esse ortum? Minime! Unum enim, ex quo id colligi posse videatur, Marmor Oxoniense brevitate sua nihil, nisi id, quod notissimum est: Thespidem primum dramaticam tragoediam docuisse indicat; de hirco autem praemio 1), quae habet, ea, sicuti omnia illa testimonia, tempus certum, quo id primum constitutum sit, nullum significant. Sed vide tamen, an id ex Plutarchi illo loco 2) efficiatur, in quo, cum Thespis primas suas fabulas doceret, nullam adhuc certaminis fuisse contentionem legimus. Erat autem ea postea, ut hinc et praemium et nomen

1) Acute Schneiderus (l. l. p. 32. sq.) in his fraudis aliquid latere sensit: „In hac narratione illud mirum est, quod a nullo commemoratur, quocum certaverit Thespis de hoc praemio. — Redeundum esse videtur ad illud, quod supra proposui, chori satyrici personas inter se ipsas de hirco certasse; Thespin autem deinde arte sua reliquos certantes adeo superasse, ut mox solus hoc praemio ornaretur, quo factum est, ut certamen cessaret." Sed ego quidem viro docto neque illa de Satyris singulis certantibus inter se crediderim, et hircum ruri tragicis cantoribus vel ante Thespidem vel post eum praemium datum esse puto, et Thespidi Athenis docenti fabulas, ut non erat, quicum certaret, ita initio quidem nullum tributum esse praemium existimo.

2) Vit. Solon. 29.

tragoediae non antiquius esse Thespide effici videatur. At Putarchus de certamine isto nondum instituto sic loquitur, ut studium certe novae artis iam satis magnum fuisse dicat. Videlicet egregio opus studio erat, ut ludorum, quibus delectarentur omnes, praemium hircus fieret! Imo is vilis rusticorum erat honos, ob quem etiam Thespidem aliquando certasse Horatius refert; Plutarchus autem de iis cogitasse certaminibus videtur, in quibus et alii omnes tragici postea contenderunt; et fortasse, iam Thespis vel certe Phrynichus vicit: siquidem de hoc, alio in loco 1), Plutarchus sic memorat, ut non sane hircum accepisse praemium videatur. Sed omnino splendidiora illa atque ordinata certamina non ita antiqua fuisse inter Graecos dicas, sed sub Persica fere bella instituta 2): rustici autem laeti in Bacchi sacris celebrandis, postquam diu et ipsius dei et capri prima vis aboleverat, hoc animal, paratum donum ipsique deo sacrificium gratissimum, iis, qui tragoedias cecinissent, quasi praemium dabant, sicuti phallicorum cantores ficuum pleno calatho et vini amphora

1) Vit. Themistoclis c. 5.

2) Nimirum vetustissima aetate neque tot poetae erant, ut certa eorum institui certamina possent, et, quod in hac omni quaestione gravissimum est, cum religione quadam, cantus diutissime eosdem retinebant. Itaque, si qua forte praemia dabantur poetis, ea fere ex rebus sumebantur, quae in promtu erant; veluti etiam postero tempore apud poetas pastores cantus praemia et pocula et fistulas et hoedum et similia ponunt. Hesiodus autem ipse (O. et D. 652 sqq.) hymno victorem se praemii loco tripodem tulisse auritum refert; neque ego multum iis tribuo, quae contra hanc sententiam Plutarchus disputat. (Symp. V. 2.)

donabant. Nec tamen ex eo, quod hoc in Attica rustici solerent facere, efficitur, eum morem etiam in Doribus fuisse receptum. Imo id minime probabile videtur, siquidem hi gravius et dignius publicis honoribus culti Bacchi sacra agebant; certe vero alienissimum istud hircinum praemium ab iis erat tragoediis, quae non in Bacchi laudem, sed heroum ad casus celebrandos a choris ederentur sollenniter institutis.

Sed, ut ad grammaticos revertamur illos, quorum in hac causa testimoniis utuntur: equidem eorum non magnam esse auctoritatem puto. Ex iis enim, qui ad nos pervenerunt, ne unus quidem in remota illa tragicae artis tempora ipse inquisivit; sed alius alium, ut videtur, exscripsit. Qui vero de iis plurima tradiderunt, Donatus et Euanthius, si recte ad eos fragmenta ista referuntur: pauca sana cum multis ineptis ita commista habent, ut vix persuadere nobis possimus, ea sic ab illis viris, prudentibus et doctis, esse conscripta. Euanthio enim haec tribuuntur: „Initium tragoediae et comoediae a rebus divinis est inchoatum: quibus pro fructibus vota solventes operabantur antiqui. Nam incensis iam altaribus, et admoto hirco, id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, tragoedia dicebatur, ab hirco, hoste vinearum, et a cantilena; vel quod hirco donabatur eius carminis poeta, vel quod uter eius musti plenus solemne praemium cantoribus fuerat, vel quod ora sua faecibus perlinebant scenici: . . faeces enim dicuntur graece *tryges*. Et his qui-

dem causis tragoediae nomen est inventum." Atque his etiam mirabiliora sunt, quae sub Donati nomine de Attica elegantia, et pratis mollibus, et scriptorum cantorumque praemiis, et amurca, olei faece, legimus; quae cum non digna sint, de quibus verba facias; id tamen notandum est, quod etiam illius aetatis hominibus ab hircino praemio tragoediae nomen ductum adeo displicuisse videtur, ut a faecibus id repeterent.

Verum, cum omnes, quos inquisivisse in hanc rem videmus, maxime propterea, quod non satis alte eam repetierunt, in alia omnia aberraverint: ne Thierschius quidem de ea sic exposuit, ut assentiri ei possimus. Nam primum tragoediae lyricae, quam in Attica ab eo sumi Satyricam vidimus, praemium hircum fuisse docet, nomenque tragoediae tam vetustum esse, quam hoc praemium affirmat. Neque eius vetustatem id minuit, quod Satyros sero tandem, ab Arione, ad artem aliquam adhibitos esse constat. Etenim vir doctus praeter hanc ludicram tragoediam aliam, severam, agnoscit, Sicyone ab Epigene inventam, et Arione multo, ut videtur, priorem. Ac de ea quidem haec fere disputat. 1) „Per Epigenem dithyrambus in tragoediam

1) „Haec ipsius Viri docti verba sunt: (l. l. p. 161. sq.) *Hier,* (in Sicyon) *finden wir uns auf dem Boden, auf welchem durch Epigenes der Dithyrambus in die Tragoedie überging. Da hierbey nicht an Einführung von Masken, Schauspielern, Dialogen in Jamben und Trochäen zu denken ist, so kann die Umwandlung nur eine und zwar eine einfache, nemlich die des Stoffes gewesen seyn, so dass man statt des Bacchus andere Götter oder Helden be-*

est mutatus: ut non Bacchus, sed alii dii aut heroes ea celebrarentur;" et paulo post: „Antiquissimo cantui Bacchico dithyrambi nomen erat, quoniam in bis natum deum canebatur, sive tragoediae, ubi praemii loco hircus dabatur, quo Baccho facerent. Cum vero Epigenis ille cantus oriretur: veteri nomen mansit, ab deo ductum; alterum vero istud, a praemio inventum, novo indebatur, in originis eius quasi memoriam." Mittimus id, quod ex his non apparet, qui factum sit, ut gravis illa et severa Dorum tragoedia in Atticis ad Satyros et lasciviam deflexerit, id quod supra non esse factum probavimus; ea sed etiam, quae de ipsa Dorica tragoedia hic traduntur, dubia lectori plura moverint. Primum enim Vir doctus tragoediam non modo tam vetustam, quam dithyrambum facit; sed etiam, cum idem plane hic atque illa esset, nomen tantum fuisse duplex dicit: „dithyrambus enim ab ipso deo, bis nato, nomen ferebat, tragoedia suum ab hirco, praemio, habebat." Postea vero tragoediam eum vocatum esse cantum do-

sang, übrigens aber die ganze Ausstattung des Chores, den Vortrag durch Chorag und Choreuten in alter Weise des Dithyrambus bestehen liess, und die musikalische Begleitung, auch den Ton nur soweit, als es der veränderte Stoff erforderte, der Umgestaltung unterwarf. (Ego valde dubito, quin ante tragicum modum ab Arione inventum, alio in dithyrambis atque in tragoediis modo veteres usi fuerint.) *Der alte bacchische Gesang hiess Dithyrambus vom Inhalte auf den Zwiefachgeborenen, oder Tragoedie, wo ein Bock zum Opfer für den Bacchus als Preis gegeben ward. Beym Ursprung des epigenischen Gesangs blieb dem alten der Name, den er von seinem Inhalte trug, und der andere vom Siegespreis hergenommene ward dem neuen so wie zur Erinnerung an seinen Ursprung beygelegt."*

cet, qui, scilicet inventus ab Epigene, non in Bacchum, sed in heroes caneretur. At, si priora ista vera sunt, improprie sane, et cum antiqua licentia, Epigenes invenisse tragoediam dicitur! magisque etiam id mireris, quod, cum hircum Thierschius ad Satyros potissimum, hoc est, ad Bacchi comites referat: hoc ipsum animal, praemii loco datum, et nomen cantus ab eo captum, ad heroum transiisse casus ponit, a quibus esset alienissimum. Omitto id, quod tragoedia in Doribus diversa ab dithyrambo, atque in nonnullis tantum locis quasi pars aliqua eius fuisse videtur; (haec enim mea est opinio, neque id ego mihi arrogo, ut errasse eum dicam, qui ab me discesserit): sed maxime dubito, quin cantus illi, statim in principio suo, praemia tam certa habuerint, ut inde ipsi nomen acciperent; neque dithyrambi peculiare praemium hircus a veteribus, sed bos commemoratur. Verum praeterea exponendum accuratius erat, quomodo dithyrambus propterea transiisse in tragoediam diceretur, quod Epigenes eo non Bacchum, sed heroes celebraret. Etenim pene omnes cantus, qui initio in solos deos componerentur, postea in heroum hominumque laudes constat esse adhibitos, neque usquam propterea nomina eorum aut mutata, aut aliter circumscripta esse legimus. Imo Zenobius in loco eo, quem supra attulimus, dithyrambos aeque in heroum atque in Bacchi honorem factos esse docet, eamque ob causam, non fere nomen eos accepisse aliud, nescio quod, sed, quo magis Bacchici viderentur, Satyros iis adiunctos esse refert. Itaque

ego quidem mihi acquiescendum esse in eo puto, ut ipsum Bacchum usque inde ab antiquissimis temporibus, et dithyrambis et tragoediis, diversis natura sua cantibus, celebratum esse statuam. Ut vero illam, cui Thierschius quoque patrocinatur, dithyrambi nominis originem admodum suspectam habeo: ita neque hircum tragoediae, remotissima illa aetate, quasi praemium propositum fuisse credo, et omnino, quin tragica poesis, quod in alia nulla memini accidere, ab praemio suo, neque eo, ut videtur, lege usquam constituto, sed rustico et privato, nomen tulerit, valde dubito. Verum ut phallum homines phallicis carminibus prosequebantur, laetioribus: ita, hirco immolato, tristia quaedam canebant, quae, primum ab Epigene ad heroes conversa, antiquum et proprium suum tragoediarum nomen omni tempore conservarunt.

Nescio, quae de his aliorum sint iudicia futura; nec tamen quisquam, puto, recte aut dubitationes nostras vituperabit, aut eam, quam ipsi in medium protulimus, de tragoediae nomine sententiam reiiciet, nisi certa nos docuerit demonstratione, quales tandem et, qua de re fuerint illi cantus, qui, diversi a phallicis et dithyrambis, neque minus iis vetusti, ab hirco, praemio, nec valde antiquo, nec legitimo, nec certo, nomen acciperent.

Nunc vero, postquam de nomine et praemio tragoediae diximus, atque hoc quidem in rustica gente, certe in Attica, hircum fuisse posuimus, qui cum aliis cantoribus tragicis, tum, initio quidem, etiam Thes-

pidi daretur: quaerendum de eo videtur, quod plerique ipsas Thespidis tragoedias non graves, sed satyricas et ludicras fuisse affirmarunt. Ac Bentleius quidem de iis haec disserit 1) „Apparet ex hoc loco Plutarchi, (*Phrynichus et Aeschylus argumentum tragoediae convertebant ad fabulas, et lugubria facta*) comparato cum reliquis, supra prolatis, veri Thespidis fabulas satyricas omnes (i. e. comprehensas fuisse res Bacchi, chorum constitisse ex Satyris, ac denique argumentum fuisse ludicrum), Phrynichum autem et Aeschylum primos auctores novae ac lugubris tragoediae fuisse. Imo post tempora Thespidis, tam tarde emersit seria tragoedia, ut, teste Suida, e quinquaginta fabulis Pratinae, qui proxima a Thespidis aetate viveret, duae et triginta Satyricae fuisse dicerentur." De quibus antequam dicamus, pauca quaedam, quasi in proscenio, proponere licebit, quibus nos probabile speramus facturos esse, Thespidis fabulas non plane satyricas fuisse, sed gravitati cuidam et tristitiae tragicae propiores. Nam primum haud leve id est, quod lyricam tragoediam, quae dramaticae originem dedit, non lascivam et satyricam, sed severam fuisse satis certum videtur; neque intelligitur, qui sit factum, ut Thespis, cum formam huius poeseos conaretur mutare, omnem eius naturam perverteret. Atque fac eum, licet causam rei nullam videas, initio Satyrica composuisse dramata 2): tamen et vixisse tam diu.

1) l. l. p. 284.

2) Hoc, ut plurimis de causis veri est dissimillimum: ita non

et

et tot fecisse fabulas traditur, ut mirum foret, si non; quippe in nova arte, neque usus ullius, neque legis circumscripta finibus, varia tentasset, levibusque Satyrorum iocis alia quaedam adiunxisset, Doricis similiora. Accedit, quod Thespis apud veteres nusquam satyricus poeta, verum semper tragicus vocatur. Quibus ne quis id opponat, quod plerumque satyrorum poetae tragicorum nomine insignirentur: nos tragoediae nomen commune utrisque fuisse concedimus quidem; sed negamus eum potuisse tragicum appellari, qui nullam unquam tragoediam, sed meros satyros scripsisset. Imo si vere, quod Casaubono et aliis placuit, cum omnino satyri priores tragoedia fuissent, tum Thespis satyrica dramata, non tristia fecisset: Graeci, opinor, non Satyricos poetas tragicorum, sed hos illorum nomine comprehendissent. 1) Cum vero Thespidis tragoediae plures laudentur, tantum abest, ut veteres eas satyricas fuisse dicant, ut ipse Casaubonus „inter eas confiteatur nullam esse, quam iure contendas fuisse satyricam." Atque tragoediarum ille tunc inventor dicebatur, cum et tragoedia et satyrica vel maxime exculta esset, omnesque, quid interesset inter utramque poesin, satis perspexissent. Suidas autem, claris verbis, non modo satyricum drama ab Pratina inventum esse

minime eo infirmatur, quod Boeckhius (Staatshaush. II. p. 362.) apte in Orchom. inscriptione tragicum et comicum poetam Athenienses, satyricum Thebanum dici monuit.

1) Id ipse Casaubonus subsensisse nonnunquam videtur; (v. l. l. p. 17. 91. 120.) sed cum Aristotelis illi loco vim latiorem semel tribuisset: constandum sibi in sententia sua existimabat.

dicit; sed etiam duas et triginta ex eius fabulis satyricas, ceteras tragicas fuisse refert, hoc est, diversas a satyricis ac tales, puto, quales primus Thespis edidisset. Neque praetereundum est, quod Phrynichus, quem omnes tragici mereri nomen consentiunt, Thespidis fuisse discipulus traditur. Quid vero, quod Heraclides ille Ponticus, qui a se factas fabulas Thespidis nomine inscripsit, a Laertio 1) non satyros scripsisse, sed tragoedias narratur? Denique ipsa, quae etiamnunc Thespidis nomini attribuuntur, fragmenta ista, seu vera, seu falsa sint, certe id probant, antiqua aetate illum non ludicrum poetam, sed gravem esse habitum. Verum haec quidem tantisper hic praemissa volumus; nunc vero ad ea testimonia accedimus examinanda, quorum ex auctoritate Thespidis tragoediae ludicrae et satyricae fuisse perhibentur.

Ac Plutarchi istud quidem, cuius Bentleius vim maximam esse iudicavit, ex Symposiacon eius exordio sumtum est, ubi quaeritur, an philosophandum sit inter pocula. Feruntur, ut fit, multae in utramque partem sententiae; denique vero ponitur esse philosophandum, ea tamen sub conditione, ut ne in convivium argutiae sophistarum afferantur. Id enim si fiat, non minus recte nobis posse acclamari: quid hoc ad Bacchum? quam id aliquando in Phrynichum et Aeschylum diceretur, ad fabulas et res lugubres tragoediam convertentes. Quid igitur? eone,

1) lib. V. segm. 92.

quod Phrynichi et Aeschyli tragoediae tristes fuisse dicuntur, Thespidis dramata nihil tristitiae habuisse, sed ludicra omnia et satyrica fuisse efficitur? Imo, ut philosophiam ad pocula admittit Plutarchus, argutias ab iis removet: ita, ipsa comparatione sua, Thespidis tragoediarum gravitati quidam, Satyrorum temperatae iocis, illorum opponere acerbitatem videtur, ab hilaritate omni nimium, ut censebat populus, remotam. Atque id egregie ipse Aristotelis ille locus probat, a Bentleio contra nos allatus, qui et Casaubono et aliis fraudem fecit: *mensura e brevibus fabulis et ludicra dictione, quoniam e genere satyrico nascebatur, sero gravior emersit. Initio enim tetrametro utebantur, quod satyrica esset et magis ad saltationem facta poesis.* Quo quidem, sicuti aliis de artium inventione locis, si quis ita utatur, ut cautionem nullam adhibeat: necesse est, in confusionem summam, rerumque omnium perturbationem incidat. Graeci enim, quod sciunt quidem omnes, sed in quaestionibus suis interdum negligunt, inventoris nomen iis fere tribuebant, qui tentata inchoataque ab aliis ita perfecerunt, ut tum incerta quae fuissent, ad constantem aliquam legem revocarent, tum adumbratorum levius, distincta partium omnium circumscriptione, formam quandam exprimerent absolutam. Sic non vere Aeschylus primus, sed ante eum Choerilus 1), quin ipse Thespis 2) personas aliquas et scenae vestitusque invenisse apparatum traditur;

1) Suid. v. Choerilus.

2) Id. v. Thespis.

plerumque vero, his praetermissis, earum rerum Aeschylus inventor nominatur: quanquam Aristoteles scenae picturam ne ei quidem, sed Sophocli attribuit. Atque itidem parum accurate Plutarchus Phrynichum et Aeschylum *ad fabulas* convertisse tragoediam dicit: siquidem certe aliquas fabulas etiam Thespis proposuerat; sed eas, quod aptissime ipse Aristoteles comprobat, breviores atque arte minus exornatas. 1) Neque aliter de *ludicra dictione* et de *genere satyrico* apud Stagiritam illa intelligenda sunt. Scilicet Thespidis rudimentis, id quod ex omni nostra de tragoedia disputatatione efficitur, initio satyrica multa atque ludicra admista erant, quae, progrediente arte, ex ea removebantur paulatim, atque in novum poeseos genus, satyricum, ablegabantur. Idemque etiam iis, quae sequuntur, indicavit Aristoteles, satis clare, ut mihi videtur, pro ea brevitate, qua Thespidem ne nominaverit quidem; Aeschylum vero secundum induxisse actorem dixerit, tertii, quo saepissime ille usus est 2), mentionem nullam fecerit. Neque huius cothurnos et pallas et machinas ille memorat; sed simpliciter scenae adornationem Sophocli tribuit. *Tetrametrorum* vero usus ita in hoc loco est cum Satyris coniunctus, ut, si ludere animus esset, ab Aristotele etiam Aeschylum initio non tragoedias, sed satyros scripsisse affirmares. Sed iam ante eum Phrynichus, quem Sui-

1) Idem aptissime Hermannus observavit ad Aristot. poet. IV. 15.

2) Imo Pollux Aeschyli quartum actorem memorat Onom. IV, 15.

das 1) invenisse, hoc est, ad tragoediam adhibuisse tetrametros refert, etiam trimetris nonnunquam usus esse videtur 2), et fabulas ille scripsit plures, certe non satyricas. Idemque de *saltatione* tenendum est; in qua apud Athenaeum 3) non Thespis solum et Pratinas, quos ad satyros relegaveris, sed etiam Phrynichus excelluisse traditur, cuius in tragoediis saltationem vehementissimam, eamque, ut videtur, simillimam Thespideae, aptissime ad rem nostram, Aristophanes describit. 4) Quibus adiungere epigramma licet illud 5), in quo Phrynichus, (ipse enim a Plutarcho eius auctor perhibetur), tot se saltandi novisse formas gloriatur, quot hiberna nocte in mari fluctus moveantur. 6) Atque ex hoc potissimum Aristotelis loco Dioscorides suum illud, quod saepius laudavimus, expressisse epigramma videtur; quod, cum neque nostrae opinioni repugnet, neque novi quicquam afferat, missum facimus.

Apponendus hic propter ipsam confusionem suam Suidae iste locus videtur, quem quasi proba-

1) V. Phrynichus.

2) v. ex eius Phönissis unum versum a Glauco Rhegino memoratum in Aesch. Perss. summario: atque alium apud Athenaeum, deipn. p. 635.

3) deipn. p. 22.

4) vespp. v. 1478. sqq. 1490. sqq.

5) Plutarch. Sympos. VIII. 9.

6) Omnino eo, quod Aristoteles tragoediam initio plus saltationis habuisse, quam postea refert, non tam Satyrica illa fit, quam ex choris eius origo significatur. Quod probari etiam eo videtur, quod apud Homerum (Il. XXIV. 261.) saltatores memorantur in choreis nectendis excellentes.

ret aliquid, cupidius, quam rectius, Bentleius cum aliis testimoniis coniunxit: *Olim carminibus de Baccho scriptis certabant, quae et Satyrica dicebantur. Post vero, agressi ad tragoedias scribendas, paulatim ad fabulas et historias se converterunt, nulla amplius Bacchi mentione facta, unde et hoc acclamatum est,* (nihil ad Bacchum) *et Chamaeleon in libro de Thespide similia narrat.* Quid enim istud est, quod olim certasse scriptis dicuntur, *quae et satyrica vocabantur?* Satyros videlicet primum in Doribus, arte aliqua politos, Arion induxit, ante Thespidem annis fere octoginta; nec sane Icariae coloni eorum instituisse certamina videntur, ut qui rudius Bacchum colerent, et, licet tragoediarum cantores, tanquam egregios artifices, praemio aliquo honorarent: Satyrorum lasciviam incomtam facile omnes ipsi exprimerent. Sin autem satyricorum nomine omnino cantus Bacchicos velis significari: quis unquam phallica aut dithyrambos satyrica vocata esse audiverit? Falsum vero etiam id est, quod Suidas satyros tragoedia priores fecit. Neque intelligitur, quomodo iste serius demum hos ad fabulas conversos esse cantus dixerit; siquidem omnis illa poesis in fabulis et Bacchi rebus versabatur celebrandis. Sed, quid enim multa? Suidas, aut quisquis alius ista ante eum conscripsit 1), infeliciter et Aristotelis et Plutarchi illos locos compilavit; quod vero Chamaeleon in libro suo simile quid de

1) „Qui conflavit Suidae lexicon, opus nobis in hac clade librorum veterum utilissimum, hominem esse noveramus stupidum et imperitum" cet. Valck. ad Theocrit. p. 296.

Thespide narravit: id, coniunctum cum iis, quae ex ceteris et argumentis et testimoniis efficiuntur, non Phrynicho demum atque Aeschylo, sed iam Thespidi illud *quid hoc ad Bacchum?* acclamatum esse nobis persuadeat.

Ab his mirum quantum nova Kanngiesseri sententia abhorret, quae, ut falsissima est, ita vel propter ipsius viri auctoritatem, vel propter loci, in quo nititur, gravitatem, sub examen accuratius est vocanda. Hic enim vir doctus 1) Thespidem, cum aliquando chorum accepisset, actorem induxisse unum dicit, qui, seiunctus a choreutis, cantu et saltatione et motu alius cuiuslibet hominis mores agendique modum ludicre imitaretur. Ad quod confirmandum, praeter alios locos, aut nihil probantes, aut detortos cupidius, quod infra demonstrabimus, ex Plutarchi Solonis vita 2) locum affert, quem, quo facilius res perspiciatur, latine factum, hic apponimus. *Cum Thespis iam tragoediam moveret, reique novitate vulgus delectaretur, (quanquam ad certaminis contentionem nondum res evecta erat,) Solon quoque, ut natura audiendi discendique erat cupidus, atque magis etiam in senectute otio et ludo, quin etiam conviviis et musicis se dedebat, spectavit Thespidem, ipsum agentem, ut mos erat veterum. Post spectaculum vero interrogavit eum, annon puderet ipsum, coram tot hominibus, talia fingere? Ad quod cum respondisset Thespis, nihil mali esse per ludum ta-*

1) l. l. p. 40. sqq.

2) c. 29. et 30.

lia dicere et agere: Solon vehementer terra baculo concussa, at brevi, inquit, hunoce ludum, si probaverimus, in vita et negotiis reperiemus. Postquam vero semet ipse sauciavit Pisistratus atque, in forum vectus rheda, populum, quasi adversariorum insidiis, Reipublicae causa, esset circumventus, concitavit, vulgusque indignabatur vicem eius et fremebat: accedens ad eum Solon, non bene, inquit, fili Hippocratis, Homericum Ulyssem agis. Eadem enim tu ad cives decipiendos facis, quibus ille hostibus imposuit, flagris per se ipsum dehonestatus. Ex hoc igitur loco, composito cum aliis de Solone narratiunculis, Kanngiesserus Solonem, post longam peregrinationem reversum Athenas, neque populo, neque Pisistrato admodum acceptum fuisse colligit. Pisistratum enim, et studiosissimum multitudinis et in primis ei probatum, iam tunc maxime summas rerum cupivisse, in eoque praecipue, ne per Solonem impediretur, esse veritum. Itaque ad hunc deprimendum eum Thespide usum esse, ut cuius ludos, qui valde multitudinem delectarent, etiam illum attracturos esse acute praevideret. Quod cum evenisset ita, Thespidem arte sua Solonem sic esse imitatum, ut tum spectatorum risum eximium, tum legislatoris vehementem in se iram excitaret. Nescimus, annon vir doctus Thespidem comoediae, non tragoediae facere inventorem voluerit, neque ad id habemus, quod respondeamus. Sed certe id falsum est, quod Solonem et vulgo et Pisistrato tunc contemtui et molestum fuisse docet. Nam, quibus id probare studet lo-

cis, ii omnes aut praeterita ad tempora pertinent, aut, sicuti Laertii ille, ea significant, quibus Pisistratus iam apertius agere coepisset; Plutarchus vero claris verbis, eodemque in capite, Solonem tunc in maxima apud omnes aestimatione fuisse dicit. Ac de Pisistrato Kanngiesserus ita disserit, ut eum et ineptissimum hominem et indignissimum faciat. Quid enim? si Thespidis effrenatam istam in Solone irridendo audaciam ille non adiuvisset modo, sed excitasset: nonne hunc id tum audivisse ab aliis, aemulis illius, tum facile perspexisse ipsum putabimus, virum et rerum peritissimum et tam sagacem, ut primus omnium, quo tenderent Pisistrati consilia, praevideret? Nec vero hic, praesertim illis temporibus, iniuriis lacessere Solonem, sed ei se probare quam maxime studebat; Solon autem, modo dominandi cupido eximi illi posset, non esse quemquam eo magis ad virtutem factum, neque meliorem cogitari posse civem iudicabat. Atque hunc virum suasisse Thespidi, ut ridicule Solonem talem exprimeret, qualis aliquando, quoniam id conducere patriae videbat, simulata insania ipsoque adiuvante Pisistrato, cives cum capitis periculo, ad recuperandam Salamina excitasset? 1) Indignius hoc sumtum est, quam quod longa disputatione refellatur! Nec vero unquam Plutarchus inter Solonem et Pisistratum aliquam ortam esse simultatem refert; sed illum semper ita huic studuisse dicit, ut etiam tyrannum factum, vita

1) Plutarch. v. Solon. 8.

pariter ac literis emollitus senex, consiliis suis adiuvaret, in eiusque institutis multa assensu suo commendaret.

Qua vero Kanngiesserus haec egit, eadem in ipso loco illo interpretando usus est infelicitate. Atque verba, quibus omnis viri docti nititur disputatio, haec sunt: *spectavit Thespidem ipsum agentem, ut mos erat veterum*, quibus mihi quidem et aliis puto omnibus illud *ipsum* non ad Solonem referri, sed ad Thespidem, tam clarum tamque, in hac totius loci simplicitate, certum est, ut plane nesciam, quanam id demonstratione etiam magis confirmem. Kanngiesserus autem suam istam opinionem, a Thespide ridicule Solonem expressum esse, primum quidem iis comprobari argumentis putat, quae iam refutavimus; tunc vero Plutarchum illa: *ut mos erat veterum* negat fuisse additurum, si nihil, nisi Thespidem ipsum egisse indicasset. Scilicet hoc Romanis, ut quibus praecipue haec ille scriberet, tam notum fuisse, ut explicatione non egeret. Mittimus ista de Romanis, parum certa, sed, siquidem inter hos e media civitate virum bonum cum ludibrio in scena exponi inauditum erat: male profecto eos de hoc Graeco more Plutarchus iis docuerit verbis, quibus, praeter Kanngiesserum, nemo unquam id docuisse eum intellexerit! Sed vir doctus comoediam quidem Graecam non plane ignotam in Romanis fuisse concedit, quin apud ipsos quoque tum a Naevio ac Plauto Scipiones, tum a Caecilio M. Catonem illusos esse in scena memorat. Ni-

hil igitur Romani, nisi Thespidem, tragicum, re vera comici egisse partes monendi erant; quod item male Plutarchus fecerit, qui ambiguam vocem *hypokrinesthai* adhiberet: usitatas in hoc notasque omnibus: *komodein* sive *exorcheisthai* negligeret. Neque magis Romani ex illo *paidias* vocabulo, quid vellet Plutarchus, percipere poterant: siquidem id ab eodem et in Solonis cum Poplicola comparatione 1), de ludo sane quam gravi adhibitum, et in dissertatione de gloria Atheniensium 2) pro omni arte scenica legebant positum.

Sed, cum unus Kanngiesserus hunc Plutarchi locum sic ad tragoediae originem converterit illustrandam: in omni eius interpretatione errorum socios plures habet. Nam Thespidis novam artem displicuisse Soloni ex illo clarum est; cur vero displicuerit, quidque id fuerit ipsum, quod tantam sapientis viri vehementiam excitaret, minus patet, ab aliisque aliter est definitum. Atque Kanngiesserus quidem, quem, alias feliciorem, ad hanc causam sinistro accessisse pede dicas, Solonem non modo propterea adeo iratum fuisse existimat, quod ipse ab Thespide ridicule in scena expositus esset; verum etiam, quod multa ab illo afficta sibi vidisset, ab ingenio et moribus suis alienissima. Ac de prioribus istis quidem supra dictum est; posteriora autem vir doctus maxime ex illo *pseudomenos* effecit. Mittimus id, quod ea interpretatione hoc *pseudomenos* totius rei quasi leve quoddam additamentum fit,

1) extr. 2) p. 374.

quod ego voluisse Plutarchum negaverim. At sane mirus iste mihi Solon erat, qui pudendum esse diceret, *tot coram hominibus se talem fingi:* quasi vero intra domesticos parietes, vel amicorum in conventu id laturus libentius fuisset! Sed vide praeterea, quantae non impudentiae, sed stuporis quanti bonum Thespidem faciat vir doctus, quippe quem Soloni, iuste irato puto, *at per ludibrium licere talia* respondisse statuat! Ac plane digna his insulsitate sua postrema illa Solonis essent, *brevi tempore, si haec fieri per ludibrium sinimus, eadem in vita reperiemus.* Sed de his plus quam satis est!

Deinde vero Kanngiesserus, ipsa interpretationis suae natura ad inconstantiam modo non coactus, post levem titubationem, ad Pisistratum se convertit, eumque virum, qua in scena Thespis usus esset, arte postea cives decepisse narrat. Tunc igitur exclamasse Solonem: „haec illinc nata sunt, hoc est: e ludibrio tyrannis." Mirabilia etiam haec sunt; sed eadem fere et aliis pluribus et Bentleio placuerunt, qui haec habet 1): „Alio in loco ipse (Plutarchus) narrat, primos, qui historiam et calamitates heroum in consuetudinem scenae introducerent, Phrynichum fuisse et Aeschylum: ut antea omnis tragoedia fuerit satyrica, nec aliud argumentum, nisi Bacchus cum Satyris. Sed si haec, de Thespide, Solone et Pisistrato, vera sunt, oportet, Thespin induxisse, in fabulis suis Ulyssem, et alios heroes: indicatur enim,

1) Tl. I. p. 303.

persona Thespidis factum esse, ut Pisistratus in cogitationem veniret semet vulnerandi, ad exemplum Ulyssis. Ut posterior hic locus priori refutando sit. Res mihi videtur haec esse: Finxit hoc, divulgavitque nescio quis, de Solone, tanquam quod conveniret personae prudentis legislatoris; ac Plutarchus, qui nihil unquam memorabile silentio praeterire solet, licet ex omni parte cum temporum rationibus non congruat, peccatum duxit, si id praetermitteret, quum exponeret vitam Solonis." At vero in his priora illa de Phrynicho et Aeschylo, ut demonstravimus, non impediunt, quo minus etiam Thespidem in suis ludis ex Ulyssis aliorumque heroum rebus gestis breves quasdam expressisse historias credamus, neque laudandus est Bentleius, qui levi sane et audaci coniectura, propter illum locum, hanc de Solone narrationem fictam esse et a Plutarcho temere receptam statuit.

Sed, ut iam ad ipsum locum illum revertamur: equidem Plutarchum in eo nequaquam id dixisse puto, quod viri docti sumserunt: Thespidem in scena Ulyssem expressisse, eumque postea Pisistratum fraudulenter esse imitatum; sed hic error tum ex ipsa duarum narrationum coniunctione ancipiti ortus, tum auctus etiam Laertii vitio est, inepte Plutarchum interpretati. In eius enim Solone haec legimus: 1) *Thespidem prohibuit, ne tragoedias ageret ac doceret, inutilem eam falsiloquentiam ratus. Cum igitur Pisistratus se ipse vulnerasset, illinc, ait, haec orta sunt!*

1) lib. III. 59. sq.

Credidisse hominem dicas, nisi Thespis artem suam invenisset, Pisistratum non fuisse tyrannum futurum, atque id etiam Solonem sensisse, quippe qui illum prohiberet, in posterum ne ageret! Sed Laertius non satis id consideravit, quod antea Plutarchus Solonem, ex peregrinatione longa reducem, ab omnibus maxime quidem cultum esse, verum ita iam aetate fuisse fractum dixit, ut neque verba in publico faceret, nec rebus gerendis interesset. Non est igitur verisimile, privatum hominem, et senem debilem prohibere novam artem voluisse, quae, ut tunc vulgus delectabat, ita, si quis opprimere eam ausus esset, certissime, (tales enim sunt homines!) summa omnium sui excitatura studia fuisset. Nec vero Soloni ludi isti, etiamsi displicerent, adeo videri graves poterant, ut, illis in turbis, ed eos potissimum coercendos omni, quantulacunque relicta ei esset, auctoritate uteretur. Sed profecto mirarentur ac riderent, opinor, veteres, si videre possent, quanto cum studio in eorum libris et in rebus omnibus, haud dubie levius nonnunquam conscriptis, nos singulas quasque voces ponderemus, nihilque non ad certum aliquod eorum revocare consilium studeamus! neque ego dubito, quin Plutarchus, si, quam male nos suus ille locus habiturus esset, praevidisset, parva mutatione facta, rem fuerit paulo clarius enarraturus. Sed non putavit ille fore, qui Pisistratum, cuius modo ingenium depinxisset, ad fraudem illam suam excogitandam rudi Thespidis eguisse arte crederent. Imo, si ei, rarum exemplum! ad mala invenienda

duce aliquo et magistro opus erat: ipsum Homericum, sic enim distincte Plutarchus eum vocat, Ulyssem habebat, quin Solonem sequi suum poterat, qui simulata, quod item Plutarchus refert, insania, ipsoque adiuvante Pisistrato; Atheniensibus, ut Salamina recuperarent, persuasisset.

Verum Plutarchus, quantum ego sentio, cum ea narraturus esset, quae post reditum Solonis et sub Pisistrati tyrannidem evenissent Athenis, menti infixa ea habebat, quae in primo huius viri ad potentiam conatu dixisse legislator ferebatur. Quae cum dramaticae artis aliquam significationem haberent, ipsa rei natura ad Thespidis inventum adducebatur, et per se commemoratione aliqua dignum, et eo hic magis referendum, quo vir sapiens gravius in eo id potissimum vituperasset, quod simulandi artis perniciosum multitudini exemplum proponeret. Nam falso etiam haec Laertius accepit, qui Solonem in nova arte id dixit notasse, *quod inutilis falsiloquentia esset*, multique, secuti eum, in hoc loco omnino agi de mendaciis cogitarunt, quibus illa fingendi arte male cives assuefierent. 1) Falso, dico: siquidem fingendi universi poetae artifices et magistri sunt; id vero, ut optime Solon vidit, ipsoque Ulyssis Homerici mentione clare significavit, ita non fecit tanti, ut propterea poetas ex civitate sua relegaret. Id quod videntes alii Thespidem antiquas et probatas Soloni fabu-

1) Praeter alios multos Rambach. in adnot. ad Potters Griech. Archaeol. III, p. 661. et Larcher. ad Herodot. I, 30 cf. Fr. Schlegel. Gesch. d. Poesie d. Gr. u. Roem. p. 146.

las conformasse liberius, suisque interpolasse commentis putarunt. 1) Sed hoc quoque, tum alias ob causas vero absonum est, tum parum cum vehementia illa Solonis congruit, tum Thespidis responsum istud: *at per ludum licere talia* reddit plane absurdum. Difficilis brevitate sua locus est, sed ei plenam suam accessuram esse lucem spero, cum, qualis ipsa Thespidis ars nova fuisse videatur, accuratius erit explanatum.

Atque huius viri, quod pluribus supra expositum est, tribules ex antiquo more choros agebant tragicos, in quibus, ut Pollux refert, plerumque unus aliquis in mensam ascendebat, indeque cum choreutis, qui saltassent tragoediam, colloquebatur. Quibus choris cum Satyrorum adiuncta turba esset, et omnino omnes baccharentur: facile quisque hanc dei celebrationem satis turbidam et laetam fuisse intelligit. Nec tamen inde tragoediam in his hominibus plane aberrasse ab peculiari natura sua, tristi illa, efficitur; sed, quemadmodum apud nos, in iis, quae ab circumforaneis cantoribus et neurospastis proponi plebi solent spectaculis, summo cum applausu excipi ea constat, quae maxime rerum horribilium atrocitatem cum iocorum lascivia coniunctam habent: ita illis rusticis, (siquidem plebis eadem ubique natura est,) in Satyrorum petulantia summopere cruentas quasdam et tristes placuisse fabulas puto, cum Bacchi rebus coniunctas. Sic igitur comparatos fere tragicos fuisse

1) Barthelemy Reise des jüngern Anach. übers. v. Biester. Th. VI. p. 5.

ludos

ludos dicas, qui et Jcariae inter rusticos edebantur, et Athenis, dithyrambis per chorum rite constitutum cantis, ex tempore, ut ait Aristoteles, fundebantur a voluntariis.

De Thespidis autem nova arte disputatio omnis in ea verti quaestione videtur: quid potissimum commovere illum potuerit, ut actorem induceret, qui et seiunctus a choro esset, et proprias quasdam suas partes ageret. Atque huius rei causam, satis ineptam Laertius protulit: 1) *Thespis actorem unum invenit, ut chorus requiesceret.* Quid enim? nonne bonum grammaticum male sua ex infirmitate vegetum rusticorum saltatorumque aestimasse robur, dicas, qui, ipsius laetitiae suae festorumque dierum excitati stimulis, (novimus nostros rusticos!), non sane requiescendo Bacchum coli crederent, quodque saltando et canendo exhausissent virium, id vino, largiter potato 2), studiose atque impigre reficerent. Neque intelligitur, cur in tragoediis quidem, actore introducto, Graeci respirare chorum voluerint: in dithyrambis, non certe minus commotis, hoc non instituerint. Nec vero, Thierschio, quamvis Thespidis tragoediam satyricam faceret, Laertii commentum istud erat comprobandum. 3) Nam ne Satyri quidem, cum praeter eos alii chori Bacchici essent, ita saltabant, ut nunquam requiescerent,

1) lib. III, 56.

2) Athen. deipn. p. 464.

3) l. l. p. 157.

atque etiam post dramaticae artis inventionem, ut supra dictum est, in satyricis choris apud Dores non semper fuisse actor videtur. Sed, misso Laertio, iam, coniiciendo quid possimus efficere, experiamur.

Nimirum, cum illi chori animi sensus quidem omnes optime exprimerent canendo: in fabulis tamen, quibus distincta erant carmina, multa narrabantur a choreutis, quae melius et expressius referri ita possent, si tanquam fieri ante oculos viderentur. Atque id sensisse multos, ipsi rudes illi rusticorum conatus docent; Thespis autem erat primus, qui felici cum audacia ad rem artem adhiberet, eoque ad actorem seiungendum a choreutis fuisse promtior videtur, quo ipse in saltandi arte erat excellentior. Nec vero eum Satyri aut Sileni, sed, plerumque certe, herois alicuius egisse partes existimo: tum, quia hae, ipsa gravitate sua, multo illis praestantiores erant; tum, quia Satyrorum petulantia fere melius per turbam magnam, quam unum per actorem exprimebatur; tum denique, quia satyrica saltatio simplicior atque rudior erat, quam in qua Thespis artis suae perfectionem posset ostendere. 1) Nec vero chorum Thespidis Satyros composuisse arbitror; sed, ut lyricae tragoediae choros, eum ex repraesentati herois aut ipsius Bacchi constitisse comitibus puto; siquidem, si satyricus fuisset, Thespis autem heroem egisset: non tragoediam vir inve-

1) v. Casaub. l. l. p. 112.

nisset, sed satyricam, serius paulo ab Pratina prolatam. In Thespidis autem choro, ex more antiquo, eoque Aeschyli demum temporibus mutato, 1) quinquaginta fuisse homines videntur: iuvenes, sacerdotes, alii 2), cum Satyris sic coniuncti, ut Aristoteles tragoediae gravitatem ex Satyrorum provenisse ludis diceret. Atque Horatius 3) quidem de Thespidis arte ita loquitur, quasi lege certa in ea post tragoediam inducti Satyri fuissent:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestis Satyros nudavit et asper,
Incolumi gravitate, iocum tentavit: eo, quod
Jllecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus et exlex.

In quibus nos quidem parum caute poetam ex ordinata tragoedia nonnihil transtulisse ad initia eius suspicamur; Kanngiesserus autem, vir doctus, confidenter haec in suam rem vertit: scilicet Horatium quoque Thespidem pro risore mordaci et sannione habuisse; ista vero de *incolumi gravitate*, quasi ex toga Romana esse enuntiata! At Horatius, puto, de rebus moribusque Graecis in universum paulo rec-

1) Boeckh. de gr. tragoed. princ. p. 37. Etiam cyclius chorus ex L viris constabat. vid. Tzetz. Scholl. ad Lycophr. p. 251.

2) Hoc significatur ipsis fabularum, quae Thespidi attribuuntur, inscriptionibus. Eiusmodi autem antiqui chori varietatis etiam in perfecta tragoedia indicia quaedam supersunt: regum satellites dico et praecones, et reginarum pedisequas, atque in Sophoclis Oedipo Rege, quae cum sacerdote supplex ad illum accedit, multitudinem. cf. praeterea de Tyrtaei trichoria Polluc. onom. IV, 15.

3) ad Pisones v. 220 sqq.

tius iudicavit, quam nos, tanto temporis intervallo ab iis remoti! Quare hanc viri docti sententiam missam facio; volentibus autem, apud Athenaeum 1) Ulpiani istam legendam narratiunculam commendo, de tragoedis et tibicinibus, in Syllae ludis, sane quam lepide Romana scilicet gravitate! exceptis. Sed vide in illis versibus, an non id dignum observatione sit, quod spectator dicitur

functusque sacris, et potus et exlex.

Etenim nos supra tragoediam et cantam esse post hircum immolatum et nominatam ab eo diximus; in his autem Thespidis tragoedia seiuncta ab sacris, solique hominum destinata oblectationi significatur. Sed Graeci in omni deorum cultu suo id sequebantur, ut, quibus illorum laudes celebrarent, cantibus, iisdem vitae suae festam iucunditatem quandam et splendorem laetum affunderent: cuius rei cum exempla innumera ubivis exstent: hic tantum, de quibus iam supra dictum est, paeanes et nomos et tragoedias et dithyrambos commemoramus, deorum ab altaribus et templis hominum ad convivia devocatos. Nec vero id in ulla poesi fiebat magis, quam in Bacchica, ad laetitiam et vinum culta, quaque tunc uti sibi quam dignissime viderentur, cum ad eam, per dies festos, totam vitam suam dirigerent et bacchari se atque furere simularent. Itaque necesse erat, eosdem cantus repeterent saepius, eumque canendi et vagandi morem, praeter ea, quae de mu-

1) deipn. 615.

lierum bacchatione traduntur 1), notissima, forsitan etiam ea indicaverint, quae de rusticis commemorantur, in vicis et in compitis carmina sua decantantibus. Quid vero? si simile quid etiam in Thespidis rudimentis Horatiana illa significent:

Ignotum tragicae genus invenisse Camoenae
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.

Dissentiunt enim de his versibus viri docti, aliique Horatium, quae vere comicorum essent, plaustra, errore quodam tribuisse tragico censuerunt 2); alii ex his Thespidem tam multa scripsisse effecerunt, quae posset plaustris advehere 3); Bentleius denique, mendam odoratus, non *quae*, sed *qui* canerent, legendum esse coniecit. 4) Missam facimus hanc coniecturam, satis a viris doctis refutatam, atque in id potius, non per se istud grave quidem, sed tamen cum hac causa coniunctissimum inquirimus, quod Bentleius omnino ex Thespidis tragoediis quicquam conscriptum fuisse pernegavit. Atque in iis argumentis, quibus ille sententiam suam probare studet 5), istud, quod „Aristoteles in poetica sua, cum de origine, progressione et perfectione tragoediae ageret, verbum nullum de aliqua Thespidis fabula in-

1) Diodor. Sic. IV, 211. ed. Rhodom.

2) Guil. Schneider l. l. p. 55. sqq.

3) Acron ad h. l.

4) in Adnot. ad h. l.

5) l. l. p. 281.

jecerit;" quale sit, omnes vident. „Verum locus Platonis talis est, ex quo clarius illud intelligas. *Tragoedia*, inquit in Minoe, *res perantiqua est*, *nec*, *ut opinio est*, *incepit a Thespide aut Phrynicho*. Ex hoc confici arbitror, ut, si temporibus Platonis fuerint, qui tragoediam a Phrynicho inventam opinarentur, nihil unquam iis auditum fuerit et cognitum de Thespidis tragoediis" Attamen haec et, quae sequuntur, primum vel ea debilitentur cogitatione, quod in sermone familiari non fere ita verba omnia ponderamus, quin nonnunquam unius loco, quod sufficeret, vel etiam rectius esset, duo ponamus; deinde vero Bentleium id debebat advertere, quod ipse non vere Thespidem, sed Phrynichum fuisse primum statuit, qui gravem, eoque dignam nomine, tragoediam invenisset. Scilicet idem forsitan Minois dialogi auctori isti persuasum fuerit; sed, quoniam communi hominum opinione Thespis inventor artis habebatur, neque eum transiri silentio posse, sed adiungendum esse Phrynicho censuit. 1) Verum hae nugae sunt indignae, quae diutius nos morentur, quanquam id iam patet, cum ex iis non efficiatur id, quod voluit Bentleius, Thespidis nullas fuisse scriptas fabulas: reliquam de Heraclidis fraude quaestionem leviorem esse et ab Horatii loco certe alienissimam. At suspicionem de his quidem, quae Thespidi attribuuntur, fragmentis haud exiguam id movet, quod trimetris fere sunt composita, non tetrametris,

1) cf. simili modo Phrynichum cum Thespide coniunctum ap. Plutarch. de glor. Athen. p. 379.

quibus Aristoteles initio usos esse tragicos commemorat. 1) Non dubitamus, quin haec quoque universius philosophus dixerit; certe trimetros et Susarionis 2) et Phrynichi plures habemus; sed ex Thespideis illis ea, quae Plutarchus profert, etiam propter sententiam, quam continent, omnemque colorem suum, rectius ad Platonis auditorem referri, quam ad Thespidem videntur. Anapaestos autem, apud Clementem conservatos, si qui defendere voluerit, Bentleii quidem argumentum istud, e literis petitum, quae hic inveniantur scriptae, cum nondum usitatae Thespidis aetate fuerint, facile sic eluserit, ut eas serius insertas esse vocibus dicat, nihil significantibus istis, sed temere confictis. Gravior tamen ex Panis nomine exsistat dubitatio; quanquam ad eam quoque, quod respondeatur, in promtu est: scilicet, apud universos Atticos quidem hunc deum ante Marathoniam pugnam demum honores publicos esse assecutum 3); ruri autem passim iam antea fuisse cultum. Sed a Polluce laudatus versus ita minime suspectus est, ut Bentleii accusatio eius est levissima: „Jam ipsum fabulae nomen *Pentheus* et reliqua, a Suida commemorata, *Athla Peliae* seu *Phorbas*, et *Sacerdotes*, et *Juvenes* satis declarant, non potuisse fabulas esse satyricas, nec adeo Thespidis, qui nullas, nisi illius generis fecit." Quid enim? nonne, si sic liberet argumentari, recte, quan-

1) De his fragmentis plura ingeniose disputat Schneiderus l. l. p. 53. sqq.

2) v. Bentl. l. l. p. 260. 3) v. Herodot. VI, 105.

doquidem Thespidis fabulae non plane ludicrae erant; tum illas ab Suida nominatas omnes, tum ex Pentheo hunc versum bene illi adscribi colligeremus? Verum et haec de Thespidis fragmentis admodum anceps est disputatio, nec fere certius, an omnino ille ipse literis quicquam tradiderit, efficias. Nam si, quid probabile videatur quaeras: plura in utramque partem posse dici invenias; sin autem, an consignatum aliquid ex Thespidis poesi exstiterit, sciscitefis: id mihi quidem veri videtur esse quam simillimum. Nam primum, ut non ipse, praesertim initio, fabulas suas conscripserit; verum ita ex tempore eas cum choreutis fuderit, ut etiam aliis in gentibus ex tempore et tragoedias et comoedias, easque haud contemnendas, actas esse scimus 1): at nova ars ita omnium ad se oculos convertebat, ut tum admiratores et sectatores eius, tum adversarios et obtrectatores, quae vel laudassent imprimis, vel reprehendissent, consignasse literis coniicias. Accedit, quod Solon et Pisistratidae studiosissime tunc Homeri carmina colligebant et in ordinem certum redigebant; cuius rei sive difficultas et incerta ratio, sive ipsum, ut fit, exemplum homines adduceret, ut ad sua aliaque conscribenda essent promtiores. Neque id negligendum est, quod Pisistratidae in illo opere amicorum usi esse auxilio videntur 2), Onomacrati, Si-

1) Cum his aptissime conferetur F. L. W. Meyer in Friedr. Ludw. Schröder. Th. I. p. 177. sqq. ubi praecipue de Fausto, quae docentur, digna sunt, quae legantur.

2) Wolfii prolegg. ad Hom. p. CLV.

monidis, Anacreontis, aliorum: qui aut ipsum Thespidem exhortarentur, ut sua ipsis conscriberet, aut id fieri per alios curarent. Quid vero? quod vel id, quod Heraclides suas fabulas Thespidi adscripsit, huius fuisse veras aliquas quodammodo significet? siquidem, si nihil antea attributum Thespidi fuisset, haud fere sperasset ille suis sese fidem inventurum esse, subito prolatis. Quibus non obstat, quod apud Athenaeum 1), Alexis primum tragoediae scriptorem, non Thespidem, sed Choerilum commemorat; nam casu in hoc loco nomina conflata potius, quam certo consilio collocata sunt: id quod cum omni loci ratione, tum eo declaratur, quod eodem, quo Choerilus, et meliore iure, Phrynichus poterat nominari. Sed fac novae artis inventorem illum, acceptissimum vulgo, inaudita quadam et incredibili modestia fabulas suas interire voluisse, non scriptas; at certe fragmenta earum plura exstitisse equidem pro verissimo habeo. Nam et Chamaeleon, quem librum de Thespide scripsisse constat, vix potuit, quin, quibus artem et rationem atque ipsum inventum eius illustraret, e fabulis eius exempla aliqua in medium proferret; nec fere, ante eum, Sophocles scribere contra Thespidem et Choerilum de choro poterat, nisi ante oculos, si minus integras utriusque poetae fabulas, at partes earum quasdam habebat, haud exiguas. Denique Thespidis tragoediae adeo placebant Atheniensibus, ut, memoriae traditae, adhuc Aristophanis

1) deipn. p. 164.

aetate canerentur et a senibus quidem, ut vidimus, longe novis, Aeschyleis, Sophocleis, aliis anteferrentur. Quid igitur? num his, quae Thespidis fabularum certe fragmenta quaedam scripta fuisse nobis persuadeant, antiqua illa in Horatii loco lectio ab Bentleii audacia defenditur? Non puto; verum hoc fit alio eiusdem poetae loco: 1)

Post Punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
Tentavit quoque, rem si digne vertere posset.

Ex eo enim Horatii aetate exstitisse quasdam fabulas colligimus, quas cum vere ille ab Thespide conscriptas putaret, etiam plaustris vectas dicere potuit. Quanquam non equidem haec ita intelligo, ut ab Acrone sunt exposita; sed hoc poetam dixisse puto: cum Aeschylus, personae pallaeque repertor honestae, iam stabile theatrum atque scenam haberet, arte exornatam: Thespidem initio, plaustris vectum, hoc est, vagantem, sua edidisse poemata, acta ab comitibus, faece pictis. Initio dico, quoniam non semper ille faecibus sese comitesque pinxit, diu ante eius aetatem 2), puto, inter rusticos adhibitis; sed fuco postea et portulaca, denique linteis quibusdam usus esse larvis traditur. 3) Atque eum virum, qui tantum in his rebus, levioribus, perficiendis studium consumeret, in reliqua arte sua tam inertem fuisse,

1) Epp. II. 1. v. 162. sqq.

2) cf. Boettiger Furienmaske p. 121. sqq.

3) v. Suid. v. Thesp.

ut, si quos primum casu, nescio quo, satyros docuisset, intra triginta annos, (tamdiu enim egisse ad minimum videtur,) nihil in iis immutaret, neque unquam ad digniorem tragoediae formam se converteret? Certo, si quid aliud, hoc est fidei absonum.

Nec vero hic, de faecibus mentione facta, nonnullorum praeterire opinionem possum, qui maxime propter earum, ut videtur, vilitatem, Thespidis poesin omnem tam rudem fuisse putant, ut eam cum ineptis circumforaneorum nostrorum atque circulatorum cantibus conferant. At ego quidem, ut a temporum diversorum comparatione abstineam, incertiore: rudia in illa et inculta tantum ea fuisse arbitror, quae, nova et diu privatorum commissa studiis, publico honore caruissent: ipsam dramaticam illam institutionem dico, personas, scenas, sermones, similia; de reliqua autem arte Thespidis, quomodo sentiendum sit, aptissime tum ipsorum aequalium eius, Solonis, Pratinae, Simonidis reliquiae docent, tum ea significant, quae de omnis lyricae poeseos flore constant. Non eo Thespidem absolutum poetam lyricum fecerim; sed revocare tantum nonnullos a nimio eius contemtu velim, et huius loci faecibus, opinor, et illius vili hirco procreato! Quanta vero opus cautione sit, e veterum commemoratione scriptorum merita existimantibus, optime exemplum Aeschyli comprobat, de quo quidem et apud Aristotelem, in eo loco, quem attulimus, et apud Horatium, in versibus notissimis, ea fit significatio, ut, nisi fabulae eius plures superessent, laude profecto non

egentes, facilè eum quoque satis mediocrem fuisse artificem statueremus.

Sed iam de eorum dicendum est sententia, qui Horatium, quae comicorum propria essent, plaustra male tribuisse tragico censuerunt. Atque ego quidem, ut omnino in veterum auctoritate reiicienda sum timidior, ita haec quoque de Thespidis plaustris, etiam si nihil de iis alii monerent testes, Horatium non finxisse temere, sed e Chamaeleontis libro aut aliunde didicisse crediderim. Sed plaustrorum usum minime ad solam comicorum pertinuisse petulantiam, verum latius patuisse, vel satis clare Athenaeus in Ptolemaei pompae illius descriptione significat 1), vel omnis bacchantium vagandi mos ille reddit verisimillimum. Cum enim, inde ab antiquissimis temporibus usque ad Pausaniae aetatem, praesertim mulieres, furentes per montes et silvas vagarentur: alii hanc insaniam ita imitabantur, ut elegantia eam et arte quadam scite moderarent. Exemplum rei clarissimum, atque id satis vetustum, apud Athenaeum 2) Philodemus exhibet, Antheam illum Lindium, poetam, qui, veste indutus Bacchica, per omne vitae tempus baccharetur, hominesque multos aleret, quibuscum noctu diuque deum celebraret, phallicis et aliis choris edendis. Nec vero eos, qui florente tragoedia Attica, eas, quae Athenis doctae essent, fabulas ruri repeterent, aliter per-

1) deipn. p. 198. sqq.

2) deipn. p. 445.

agrasse pagos, quam Bacchico cum habitu et ornatu puto; Thespis autem, cum Jcaria Athenas se conferret, eo libentius usus esse plaustro videtur, quo magis, in eo vectus, conspicuus esset inter omnes, dux gregis atque actor unus, novo invento suo ab choro separatus. Anaxandridis illius, ex equo dithyrambum canentis, haec memoriam renovant; sed praeterea etiam ad ipsam saltationem recellentes plaustri tabulae aptiores inerti solo erant, eandemque ob causam Pollucis actores isti ascendisse in mensam videntur: certe Hippoclides apud Herodotum 1), quo melius in saltando dexteritatem suam posset Clistheni monstrare, afferri sibi mensam iussit.

Laudare eos solemus, qui in re parva nihil abiiciant facile, cuius aliquis esse posse usus videatur: non igitur male, in hac de Thespide indiciorum inopia, nos imitari eos videbimur, cum etiam perunctos illos faecibus ora ad quaestionem nostram paulo propius adhibemus. Non enim, quod multi sumunt, hos puto ideo se unxisse, quo minus cognoscerentur, quod potius irrisoribus istis propositum comicis fuerit; sed rudi cum arte eo consilio pinxerunt ora, ut, quantum possent, eorum vultus referrent, quibuscum actor rem haberet, senum, dico, heroum, aliorum. Egisse enim chorum quoque, non cecinisse solum Horatius dicit, rectius id, opinor, Kanngiessero, qui Thespide canente et saltante, nescio quid, requievisse chorum, finitis autem illius partibus,

1) VI. 129.

ita hunc suos decantasse hymnos docet, ut nulla plane inter eos coniunctio esset, actionisve communio. Ducem videlicet ineptum vir doctus, Laertium, est secutus: quanquam etiam ipsius de Thespidis arte disputatio vix choro agendi locum ullum reliquerit. Sed, praeter hoc Horatii testimonium, neque ea negligenda sunt, quae de omni illorum chororum saltatione disseruimus, actioni perquam simili; nec leve id est, quod Dores ipsam quoque dramaticam tragoediam apud se inventam esse praedicabant; et mirus denique Thespis fuisset, si, cum diu ante eum ex mensa actor subitarius collocutus cum choro esset, ipse ex plaustro suo enarrare fabellas quasdam incepisset, a chori partibus seiunctas, actione deminutas, ab re plane alienas 1). Itaque equidem non dubito, quin Thespis breves suas fabulas adiutus a choreutis egerit, maximeque assentiendum Aristoteli censeo, qui, ut Themistius refert, illum virum et prologum invenisse et sermones docuit.

Ut vero iam omnium, quae disseruimus de Thespide, faciliorem lectoribus conspectum praebeamus: primum quidem fabulas eius graves et tristes, denique tragicas fuisse vidimus, sed eas Satyrorum admistis iocis quasi temperatas. Cum vero Thespis Icariae oriundus esset: initio quidem, ut alii tragici cantores, ibi, poeseos suae praemium, hircum accepisse videtur; serius autem etiam Atheniensibus maximopere artem suam probavit. Nec vero ipse Thespis fere Satyros, sed heroes agebat; neque chorus

1) Meliora docere Hermannus poterat in adnot. ad Aristot. poet. IV, 15.

eius ex Satyris omnis constabat, sed ex herois, quem agebat, aut ipsius Bacchi aliis sociis et comitibus erat compositus. Omnes vero, et Thespis et choreutae, quo similiores iis viderentur, quos repraesentabant: initio faece picta, deinde portulaca, postremo larvis linteis tecta ora habebant. Denique in plaustro suo Thespis actionis maximam partem ipse sustinebat, ita, opinor, ut a choreutis interdum aut moneretur, aut impediretur, aut iuvaretur, praeconis fere sive oratoris alicuius sive regis similis, ex lapide vel suggestu ad populum verba facientis. Non plane mea haec, sed Aristotelis est comparatio, de chori et actoris ad musicam diversa ratione disputantis. 1) Quid vero, si in eandem casu Solon inciderit, atque ea potissimum de causa tantopere Thespidis inventum illud improbarit? Etenim haec ille quaesivisse ex Thespide dicitur: *Annon puderet eum, in tanta hominum frequentia, talia commenta agere?* Quorum prioribus quidem id dixeris notari, quod Thespis, non fere in familiarium coetu, sed in publico partes eas ageret, quas ex plebe homines solerent suscipere, in mensam prosilientes; posterioribus autem, quod ipsa, quae proferret, commenta damnosa essent. Atque ista quidem ad contemtum eum referas, quo comoediae principia, ut Aristoteles memorat 2), premebantur diutius; nec vero initio, qualis aliquando tragoedia futura esset, perspiciebatur. Sed ego potius simplicem Solonis mentem fuisse sta-

1) problem. XIX. 15.

2) poet. V, 3.

tuam, eamque: tales res, in tot ac talibus actas hominibus non posse non Reipublicae esse perniciosas. *Pseudomenos* autem fere idem est atque id, quod antecedit *hypokrinomenos*, eademque vocis ab ipso Thespide affertur definitio; siquidem is ad Solonis reprehensionem, nihil mali esse, inquit, *per ludum dicere talia et agere.* At vero ne sic quidem hic locus satis explanatus videtur. Legislator enim humanissimus ille tantum aberat, ut omnino poetis, quorum ars tota in fingendo vertitur, infensus esset, ut maxime eos civibus suis commendaret. Itemque rhapsodos, a quibus carmina illorum recitabantur, quosque saepius *hypokritas epon* vocari constat, ille probabat: ut neque *to hypokritikon* Thespideae artis per se quidem tanta cum vehementia posset vituperare. 1) At vero inter rhapsodos atque Thespidem hoc maxime intererat, quod illi quid canturi essent, praesciebatur; hic eorum, quae dicturus acturusque esset, conscium habebat neminem. Cum vero tunc ad res omnes perturbandas et ad ipsam tyrannidem nihil dicendi arte haberetur gravius 2), legibusque apud Athenienses plurimis esset cautum 3), ne quis ea temere abuteretur: qui, istis in turbis, legislator sapiens et futuri, si quis alius providus, non irasceretur Thespidi, qui actore, tanquam rege vel oratore ab choreutis, populo, seiuncto, aptisque non solum sermonibus,

1) Wolf. prolegg. p. CXL. sqq. cf. p. XCVI.

2) Aristot. polit. V. cap. 4. sqq.

3) cf. Potters Griech. Archaeol. I. p. 196. et 323.

sed

sed etiam actione inventa, tum ipse, lege nulla impeditus, in vulgus, quaecunque vellet, dissereret, tum etiam aliis, volentibus quibusvis, dicendi fingendique quasi scholas quasdam aperiret, liberrimas et maxime periculosas? Num igitur eo die, quo Solon Thespidem spectavit, hunc nihil nisi ludicra quaedam et satyrica egisse putabimus? Contra omnem hoc rationem repugnat! Verum *talia* ille cum choreutis suis egerat, quae, gravia et severa, nimiam ipsius vitae similitudinem referrent, quorumque, ut Solon dixit: *brevi, si probarentur, vim perniciosam in negotiis essent percepturi.*

Sed de Thespide quidem, ut videtur, satis diximus: nunc reliquum est, ut pauca quaedam de sectatoribus eius et discipulis addiciamus, quos apte ad rem nostram compositos et comparatos cum Aeschyli et Sophoclis perfecta arte, Aeschyli vitae auctor habet, laudatus a Robortello et Stanleio 1): *Cogitandum est, quod difficilius erat, post Thespidem et Choerilum atque Phrynichum ad eam praestantiam tragoediam producere, quam post Aeschyli artem ad Sophoclis perfectionem evehi.* Non magni haec momenti sunt, nec fere, praesertim in Stanleii editione, *multo difficilius* exhibente, quicquam, nisi Quintiliani 2) illa confirmare videntur: dicit tragoedias primum in lucem ab Aeschylo prolatas, sed quae tamen etiam aliud quid significant, nobis non praetereundum. Quandoqui-

1) Ille in ed. Aesch. p. 696. hic in ed. Aesch. p. 761.

2) Instit. orat. X. I, 66.

dem tragici hic enumerantur, qui, perfectione licet arteque differrent maxime, at tragici tamen omnes essent. Omissum igitur Pratinam propter id ipsum dicas, quod in satyris potissimum elaborasset, atque ex his quoque id efficias, quod aliis argumentis est probatissimum: Thespidis tragoedias non ludicras fuisse; sed eum, si admiscebat Satyros, plurimum tamen eius retulisse gravitatis, ob quam tragicae Phrynichi et Aeschyli et Sophoclis adscriberetur sodalitati.

Atque *Choerilus Atheniensis* aetate quidem proximus Thespidi fuisse fertur; nec tamen usquam eius, quod mireris, discipulus vocatur. Etenim, cum Thespis primas suas fabulas docuisse Ol. LIV. 1. videatur, cultior autem ars eius aut tragoedia, in qua primum ab Archonte chorum accepisset, in Marmore Oxoniensi ad Ol. LXI. revocetur: a Choerilo primam fabulam editam esse Ol. LXIV. invenimus. 1) Neque eum, in choris quidem instituendis, multum recessisse ab Thespide dixeris, siquidem Sophocles contra eos coniunctos de hac artis suae parte scripsisse traditur. 2) Sed, ut haec ambigua sunt, ita etiam alia quaedam illi viro, sive in scena instruenda, sive in actore ornando novata tribuuntur, eo difficiliora nunc distinctu, quo de omni tragoedia inter Thespidis atque Aeschyli aetatem, indicia et rariora sunt et incertiora. Atqui Choerilus etiam, quod tragicis veteribus plerisque

1) Suid. v. Choerilus.

2) Suid. v. Sophocles.

contigit, ad summam pervenisse aetatem dicitur. Eusebius enim 1), post primam fabulam editam, anno quadragesimo, hoc est Ol. LXXIV, eum floruisse refert; in quo, si quis de flore dubitet; at vixisse eum etiam tunc haud negaverit. Quin eam vitae diuturnitatem ipse fabularum, quas scripsisse fertur, ingens numerus, centum et quinquaginta vel sexaginta! haud leviter confirmare videtur: quas cum Suidas communi tragoediarum nomine insigniat; ego, si quid dare coniecturae licet, hunc poetam plurimos scripsisse satyros ponam; siquidem neque, ut Phrynichus, Thespidis discipulus vocatur, et ab ipso Suida iam Ol. LXX certasse cum Pratina et Aeschylo dicitur; et in versu quodam, laudato ab Naekio, viro celeberrimo, *in satyris rex* appellatur. Sed de hoc incerti auctoris versu Naekius haec disputat 2): „Quodsi quaeratur, de quonam Choerilo loquatur illius versus auctor, Choerilus Atheniensis tragicus est. Ita auctor describit artis tragicae antiquissimae tempora, inter cuius praesides et auctores iure nominatur Choerilus Atheniensis. Tragicae artis tempora dixi: namque eorum opinioni, qui Choerilum tragicum etiam satyricas fabulas docuisse suspicati sunt, nihil accedit ex hoc loco ponderis. Caeterum hoc, *quando rex erat*, eleganter dictum est, et quodam modo refert solemnem graecis hominibus imaginem, qua res valde antiquas Saturni regno assig-

1) Chron. p. 334. ad Ol. 74: *Choerilus et Phrynichus egnorizonto.*

2) In libro variae eruditionis plenissimo: Chörili Samii, quae supersunt cet. p. 265. sq.

nare solebant. — Satyrus quum omnino omnis tragoediae, etiam cultoris, persona primaria et quasi praeses haberetur, utpote a quo repeteretur origo tragoediae, tum vero optime repraesentabat tragoediam Choerileam, quae proxima fuit ab origine illa." In quibus primum de Satyro, omnis tragoediae persona primaria et quasi praeside, a viro docto equidem dissentio; deinde vero, in illius versus ratione incertissima, non nisi id, quod quasi sua sponte prodeat, sumendum puto, neque satyros ad tragoediam Thespideam refero, sed, cum ipso, in exordio libri sui 1), Naekio, ad Pratinae satyros revoco, quos Choerilus cum laude eximia esset imitatus. Neque hic ego de Saturni regno cogitaverim, sed simpliciter aut *regem in Satyris* regem esse siverim, de quo mira liceat conjicere: aut vero ipsum Choerilum regem, hoc est, principem vocari, vel excellentem in satyris dixerim.

Progredimur ad *Phrynichum Atheniensem*, Thespidis discipulum, quem, sicuti magistrum, et saltando excelluisse et diutissime Atheniensibus fuisse in deliciis accipimus. 2) Atque hic poeta, cum summopere cantilenarum suarum suavitate se probaret civibus, etiam aliis quibusdam institutis de tragoedia ita meruit, ut quodammodo ipse eam invenisse videretur. Sed de eius arte memorabilis illa

1) l. l. p. 12. Neque his Pratinae, Phliasii laudes obstant: scilicet Athenienses suum popularem, Choerilum, laudabant.

2) v. Athen. deipn. 22. et Aristoph. vespp. v. 1490. 1524. et ibidemque avv. v. 748. sqq.

Aristotelis locus est, quem ex Bentleii correctione hic apponimus: 1) *Cur Phrynichus plures cantus fecit, quam nunc ullus tragicus poeta? An quia istis temporibus cantus (quos canebat chorus) in tragoediis plures erant, quam versus (quos actores recitabant)?* Quae egregie definiuntur illis Philostrati: 2) *Choros contraxit magis, (Aeschylus) ante se extensiores, et actorum sermones instituit, resecta monodiorum longitudine.* Sufficient haec, puto, ad refellendos eos, qui, cum Thespidis artem, quantum maxime possent, ineptam fecissent, etiam Phrynichi tam pinguem industriam finxerunt, ut ipsum quidem declamasse narrantiunculas quasdam docerent 3), chorum vero, requiescendi causa inventum scilicet! interea nihil nisi otiosum egisse auscultatorem sumerent.

Atque ex illis locis praeclare, tum, quomodo pedetentim e lyrica tragoedia dramatica progressa sit; tum, qualis haec Phrynichi aetate fuerit, intelligitur. Nam, etiamsi Thespis et actionem invenisset, et a choro actorem sejunxisset: plerumque tamen sic cum illo collocutus esse videtur, lyricis nimirum metris cantibusque usus longioribus, quemadmodum etiam in iis, quae supersunt, tragoediis saepenumero solum chorum videmus, in partes divisum, et colloqui inter se et deliberare et conqueri et omnia facere, quaecunque, si non ipsam actionem

1) l. l. p. 297.

2) in Apollon. vit. lib. VI. c. 6.

3) Kanngiess. l. l. p. 87. sqq.

exprimant, at proxime ad eam accedant. Atque eandem rationem fere, quae probata magistro fuisset, in suis fabulis Phrynichum putamus secutum esse, sic tamen, ut eas magis ad sermonis aliquam similitudinem accommodaret. Perfectam vero colloquendi artem moderatamque cantuum longitudinem denique Aeschylus invenit, 1) suoque ingenio, quod conati illi, non sine laude, fuerant, e lyricae poeseos quasi sinu et complexu dramaticam in curriculum novum produxit.

Sed iam de eo dicendum est, quod Phrynichus primum muliebrem in scenam induxisse personam traditur. Varietatis et veritatis speciei maioris causa id eum fecisse dicas; nec tamen probabile est, ab eo tales scriptas esse fabulas, in quibus mulier una quaedam cum choro ageret, viro aut heroe nullo addito. Quid igitur? num quis, quem demum Aeschylus excogitasse fertur, iam ab illo inductum esse alterum actorem crediderit? Quidni? siquidem aequales erant, in eademque non modo urbe, sed in theatro eodem fabulas docebant, ut facile Phrynichus Aeschyli uti invento posset. Sed, cum Aristoteles antiquas tragoedias admodum breves fuisse dicat: non unam tantum a poetis editam, aut eandem saepius repetitam esse fabulam putamus; sed plures, diversas, deinceps actas esse coniicimus. In qua necesse erat, actor, qui aliam post aliam personam susciperet, saepius etiam vultus et cantum et saltationem com-

1) Suid. v. Phrynichus.

mutaret. Id vero, ut simplicissimum erat, ita vel ipsum Thespidem poterat adducere, ut, quod in diversis fabulis soleret facere, unus ut personas plures ageret, id, luxurians quodammodo et abundans arte, facere in eadem conaretur. 1) Sed si huius viri, uno suo invento actore illo, ita quasi exhaustum fuisse ingenium dicamus, ut praeterea nihil posset invenire: at Phrynichum incidere in hanc artem potuisse concedendum erit. Itaque forsitan diu ante secundum Aeschyli actorem adhibitum, hic herdi suo et muliebrem personam aliquam et alias adiunxerit; id quod maxime eo videtur confirmari, quod, etiam posteaquam et secundus et tertius inductus actor erat, eorum nonnulli duas vel plures egisse personas videntur; Aeschyli enim, quae supersunt, pleraeque fabulae saltem quatuor vel quinque personas habent; Sophoclis atque Euripidis nonnullae octo.

Unum vero omnium gravissimum in iis, quae de Phrynicho traduntur, id est, quod Ol. fere LXX. in scena Atheniensibus Mileti expugnationem proposuit. Etenim primum haec potissimum fabula atque eiusdem poetae Phoenissae Aeschylique Persae et aliae similes fuisse videntur, de quibus cogitans Plutarchus illa scripsit de tragoedia, per Phrynichum et Aeschy-

1) Hoc etiam Brumoeus coniecit, Graecorum dramaticae artis existimator merito laudatissimus: Théatre des Grecs edit. Paris. 1785. I. p. 48. in disputatione sur l'origine de la tragédie; quae etiamsi plura bona habeat, tamen levior videbatur, quam cuius in aliorum de hac re quaestionibus mentionem facerem. Plures autem personas a Phrynicho in eadem fabula actas esse etiam Schneiderus sumit l. l. p. 70.

lum demum ad fabulas et res lugubres deducta. In quo fabulas iam supra diximus parum accurate esse ab Philosopho positas; neque de iis Reiskii illa adnotatio placet: „Significat Plutarchus ante Aeschyli et Phrynichi tempora in scenam non fuisse productas alias fabulas, quam satyricas, hoc est Bacchum, eiusque ludicros et ridicularios satellites, Silenos et Satyros: at illos coepisse deos et heroas et historiam omnem fabulosam in scenam producere." Neque enim hoc voluit Plutarchus et tragoediam, certe Doricam, diu ante illos duumviros in heroum fabulis versatam esse constat: atque idem de Attica tragoedia quodammodo Herodotus significat, qui Phrynichum propterea mulctatum esse refert, quod ipsorum Atheniensium in scenam casum produxisset. 1) Sed nos in illa Phrynichi fabula, Mileti expugnatione, maxime id tenendum censemus, quod hic poeta fuisse primus videtur, qui artem suam ab inani oblectatione, deorumque et heroum fabulis ad Reipublicae et patriae rationes revocaret, eaque audacia novam ei, qua progrederetur, viam praescriberet. Nescimus, an tale quid evenire posse in nova arte Solon praeviderit; certe vero ii, qui, cum illa ederetur fabula, administrabant Rempublicam, non minus erga Phrynichum, quam ille erga Thespidem, fuisse irati videntur. Mille enim drachmis, ingenti (ut temporibus illis) pecunia, eum mulctarunt et caverunt lege, ne quis postea ea fabula uteretur. Obtemperatum esse iis et a Phrynicho et ab aliis in eo vi-

1) VI. 21.

detur, utque a malis domesticis abstinerent; postea vero ille, in Phoenissis fabula, gratissimum Atheniensibus spectaculum, Persarum cladem exposuit, tanta cum arte, ut ipse Aeschylus ex ea multa contulisse in suam Persas dicatur 1).

Aliarum Phrynichi fabularum nominibus enumerandis, quippe ex quibus nihil novi efficiatur, supersedeo; id tamen moneo, quod haec ipsa Phrynichi atque Aeschyli fabularum tristitia, ab Satyrorum ludis penitus seiuncta, satyrico dramati dedisse originem videtur. Siquidem harum tragoediarum eadem plane atque dithyramborum illorum ratio erat, quibus ad heroes deflexis, ne Bacchi obliti esse viderentur, poetae Satyros adiunxerunt. Sunt vero, scio, qui id, quod tragoediis apud Athenienses satyrica dramata adderentur, mirabili cuidam sapientiae eorum et humanitati tribuant; displicuisse enim in ludis pariter et in vita tristitiam nimiam, neque illos commoveri hominum animos voluisse, quin parata delinitio quaedam et consolatio esset. Atque equidem longissime ab eo absum, ut Graeciae honori detrahere quicquam cupiam: imo laetor quam maxime, cum iusta laude alii, quam imprimis ipse admiror, humanissimam illius gentis sapientiam efferunt; sed in hoc tamen instituto ego non maiorem saltem ei, quam vetusto mori et Bacchici cultus omni rationi 2) vim tribuendam esse censeo. Viderunt nimirum tragoediae for-

1) Glaucus Rheginus in Aesch. Perss. Argumento.

2) cf. Diodor. Sic. IV, p. 213.

mam, a Phrynicho et Aeschylo inventam, perfectissimam esse, neque amplius ad eius dignitatem Satyrorum petulantiam esse admittendam; nec tamen minus intellexerunt eam a Baccho esse alienissimam. Quare, ut et deo suus et arti honos esset, tragoediis initio pluribus, opinor, postea aut tribus aut singulis satyricum drama adjunxerunt, inventum, Phrynichi aetate, ab *Pratina Phliasio*, poeta tragico.

Ac de Pratina Suidas haec tradit: *Pratinas Pyrrhonidae, sive Encomii filius, Phliasius, poeta tragicus, certavit cum Aeschylo et Choerilo Ol. LXX, et primus scripsit satyros. Cum autem se ostentaret, accidit, ut tabulata, quibus spectatores insistebant, conciderent. Qua de causa theatrum exstruxerunt Athenienses. Fabulas edidit quinquaginta, quarum triginta duae fuerunt satyricae. Vicit semel.* In quibus id, quod poeta Ol. LXX. certasse cum Aeschylo et Choerilo dicitur, non iam tunc eum satyricum drama invenisse comprobat; sed id, ut diximus, fortasse tunc demum fecit, cum in severa et politica illa Phrynichi tragoedia Bacchi mentio omnis interiisset. Neque statim satyrorum cum tragoedia coniunctionem et rationem certam constitutam esse inde colligimus, quod plures Pratinam satyricas, quam tragicas scripsisse fabulas videmus 1). Sed ille, ut fere asso-

1) Satyricorum eius dramatum numerum, suspectum Casaubono (l. l. p. 126) emendare Boeckhius conatus est, (de gr. trag. princ. p. 125.) pro λβ' scripto ιβ' Sic igitur tot fere satyricas ille, quot trilogias fecisset et verus tetralogiarum auctor fuisset; quod non valde probabile videtur, Nec vero magis ob causas eas, quas supra exposui, equidem Eichstaedtio assentiar, „poetas secundae aeta-

let fieri, cum a Phrynicho 1) et Aeschylo neglectos satyros videret, tragicam autem victoriam, in summa illorum virorum excellentia, fere desperaret, totum, ut videtur, ad illos se convertebat, eorumque iocis, ad artis quaedam praecepta conformatis, sese probare multitudini studebat. Pratinae autem satyrorum, in quibus, praeter alios, Aeschylus, summopere excelluisse quidem, 2) nec tamen quicquam commutasse traditur, Casauboni haec est definitio: 3) „Satyrica est poema dramaticum, tragoediae adnexum, chorum ex satyris habens, personarum illustrium actionem notabilem, partim seriam, partim iocosam exprimens, stilo hilari, exitu plerumque laeto." Quod poeseos genus, quando primum lege certa ita adnexum tribus tragoediis sit, ut tetralogia efficeretur, dictu difficile est. Quandoquidem, cum principio admodum breves essent fabulae, ne nimis concisa videretur oblectatio, fere necesse erat, plures coniungerentur; deinde vero, aucta arte, post tres tragoedias unam edere satyricam placuit, eaque ratio certe Ol. LXXVI, quo tempore Aeschylus Persis vicit, iam constantem habuisse usum videtur. Sed quae, in nascente arte, plurium tragoediarum deinceps docendarum causa fu-

tis fabb. satyricas saepenumero egisse separatim" coniicienti; (l. l. p. 29, cf. additam.) verum ego Pratinam initio, sine lege certa, cum una tragoedia unam, imo nonnunquam fortasse duas coniunxisse satyricas dixerim.

1) Non ideo equidem Phrynichum nullos fecisse satyros asseverem; sed assentior Casaubono in l. l. p. 152. De Aeschylo dubitari esse nequit.

2) l. l. p. 126. 3) l. l. p. 100.

isset; eadem, cum cessisset, fabulaeque episodiorum multitudine crevissent maxime, hoc institutum et poetis et spectatoribus reddidisse molestius videtur. Quare, qui omnem artem suam certae adstringere rationi soleret, Sophocles, ut Suidas refert, 1) sapienter etiam id fecit, quod primus omnium fabulas non tres coniunctas, sed unam tantum ad certamen adhibuit. Quanquam inde non efficitur, postea neque ipsum Sophoclem, neque alium quemquam certasse tetralogiis; „sed quum ante eum nunquam nisi tetralogiis certassent, ille effecit, ut partim his, partim singulis tragoediis liceret contendere." 2)

Nec vero praetereundum est de artis tragicae progressione disputantibus, quod in illo loco Suidas, *Pratina docente fabulam, concidisse tabulata* refert, *posteaque theatrum esse ab Atheniensibus exstructum.* Cum aliunde nihil de hac re accipiamus, haud male sumere videmur, „hoc illa ipsa die accidisse, qua cum Aeschylo et Choerilo certaret Pratinas" 3). Quod vero post eum casum Athenienses exstruxisse theatrum dicuntur, id, ni fallor, in Thespidis plaustrorum locum levia quaedam successisse tabulata, remque magna ex parte, ante illum diem, privatorum commissam fuisse studiis comprobat. Inde vero ab Ol. LXX. nova ars magis et magis se insinuabat in favorem populi, ut Ol.

1) v. Sophocles.

2) Boeckhius de tragoed. princc. p. 105. cf. Eichstaedtius in Addend. ad lib. de dram. gr. com. sat.

3) Naekius in l. l. p. 11.

LXXVI. iam incredibili omnes eam studio prosequerentur. Sed haec ipsa causa erat, cur valde semper de eo equidem dubitarem, quod Suidas Pratinam semel tantum vicisse scripsit. Ac de hoc etiam Naekius disputat, 1) admodum probabilia haec proponens: „Si Suidas Choerilum Ol. LXIV. in certamina descendisse, atque eundem tredecies vicisse scribit, cavendum est, ne certamina illa, quae cum Choerilo Phrynichum inter alios habuisse putabimus, tam gravia, tamque legitimo ordine ac ritu instituta, aut victoriam tam splendidam fuisse existimes, quam quae proxima aetas vidit, Aeschylo et Sophocle florentibus, certamina et victorias." Probabilia haec esse dico; nec tamen scrupulos mihi maximos de Pratina, omnes eximunt. Cum enim Phrynichum Herodotus, Ol. fere LXX, quod fabulam de Reipublicae calamitate edidisset, mille mulctatum esse drachmis narret: neque omnino hi ludi tunc ita leves habiti esse videntur, et Pratinam egregie multis probatum fuisse vel ex eo colligas, quod sua inventione ab suspecta illa gravitate ad iocos artem revocabat, neque molestos cuiquam et multitudini semper acceptissimos. Atque si non placere inventum suum, nec dignari victoria sensisset: ab eo brevi haud dubie discessisset. Quod tantum abest, ut faceret, poeta omnino haud ignobilis, ut triginta duo dramata satyrica conscriberet, de quorum laude, ne quid nobis du-

1) Ibid. p. 12.

2) Corinth. p 141.

bi relinqueretur. Pausanias fecit 2) illius: *Ibi* (Phliunte) *sit etiam Aristiae, Pratinae filii, monumentum, ab hoc Aristia et a Pratina patre satyri facti sunt, praeter Aeschyleos, praestantissimi.* Itaque equidem aut Suidae illa de una Pratinae victoria, quod in numeris saepissime accidit, corrupta esse dixerim, aut ea et similia ad ipsorum grammaticorum errores revocarim, qui, cum antiquissimorum fabularum didascaliae plenae non exstarent, ut, quas inscriptas alicubi casu quodam reperissent poëtarum victorias, sic referrent, quasi praeterea illi nullas reportassent. 1)

Iam vero, si Aristotelis veritatem sequeremur, ab Sophocle tandem consummatam et perfectam esse tragoediam iudicantis, etiam de Aeschyli in ea inventis atque meritis esset dicendum. Nec tamen id facimus, primum, quia huius poëtae ars non ad tragoediae initia magis, quam ad summum eius florem pertineret; deinde, quia tot eius monumenta praeclarissima superessent, ut de eo non possemus disserere, quin magni voluminis librum conscriberemus. Quod cum ab hoc quidem proposito nostro alienum sit; ea autem, quae breviter possint exponi, egregie iam ab aliis sint explanata: et magni illius tragici excellentiae et lectorum otio id nos putamus debere, ut iam de tragoediae origine disputationem nostram finiamus.

1) cf. Boeckh. l. l. p. 117.

DE TRAGICORUM GRAECORUM CUM REPUBLICA NECESSITUDINE.

ARGUMENTUM.

Expositio quaestionis statu, primum universe de poematum natura pauca monentur; deinde recentiores tragici, qui artem suam ad remotius aliquod a poesi consilium direxerunt, laudantur plures; postea, Atheniensium civitate memorata, musicae et poeseos in Graecia cum rebus publicis et moribus regendis coniunctio antiqua ostenditur. Cum vero tragoediae graecae aestimatio omnis ex temporum, quibus floruit, cognitione pendeat, haec, qualia fuerint, enarrantur.

Nam inter Persicum et Peloponnesiacum bellum cum Atticae res omnes graviter mutarentur, multis causis etiam tragici, ut artem suam ad civitatem converterent, adducebantur. Nec vero mirandum est, si rarius vulgus eorum consilia perspexit; nos vero oportet cavere, ne omnes veterum fabulas ad eandem quasi legem revocemus; siquidem haec tragoediae cum Republica necessitudo non in ipsa eius sita natura erat, sed ex temporibus pendebat omnis; quare Aristoteles eam praetermisit; gravissima autem de ea plura Aristophanes habet.

Atque in illa tempora et Phrynichus et Aeschylus incidit: hic veteris disciplinae etiam in fabulis suis propugnator acerrimus; Sophocles autem, et temporibus illis aliter affectus et ingenio lenissimus, non tam in malis istis impugnandis, quam in humanitate et pietate elaboravit civibus commendanda; denique, diversus ab utroque, Euripides, temporumque, quibus vixit, artis suae dissolutione similis, magis placere vulgo studuit, quam ad certa, cum Republica coniuncta consilia fabulas suas conformavit.

Sophocles autem ea potissimum, qua tragoedias suas ad Remp. accommodavit, moderatione tantam artis consecutus est praestantiam.

In hoc Sophoclearum quaestionum libro, praeter alia, de poetae in fabulis suis conscribendis consilio disputaturo mihi non praetereundum id videbatur, quod viri docti de eo, quod omnino propositum illius aevi tragoediae fuerit, admodum inter se discrepant. Nam cum plerique, ut tunc omnia ad Rempublicam referebantur: sic etiam tragicam artem vel ad eam vel ad mores hominum pertinuisse regendos et formandos putent 1): ab iis tum alios plures 2), tum virum dissentire video, harum rerum existimatorem unum peritissimum, qui in literis, nuper ad me datis, haec fere scripsit: „Mihi quidem nunquam potuit persuaderi, veteres poetas tragicos civium suorum sibi mores proposuisse conformandos. Nam, quod sive choro, sive aliis personis interdum sententias praeclaras et sapienter dicta tribuunt: id non minori quidem tragoediis eorum ornamento, quam ipsis honori est; sed tamen unum iis in hoc fuisse studium puto, ut e fabularum, quae tunc ferebantur copia, et pulcherrimas eligerent et electas, secundum artis suae praecepta, aptissime tractarent." 3)

1) Plura aptissime de graecae tragoediae cum Rep. coniunctione disputavit Rochefort Mém. de l'Acad. d. Inscr. tom XXXIX. p. 125. sqq. cf. Fr. Schlegel Gesch. d. Poes. d. Gr. u. Röm. p. 147. et A. Guil. Schlegel über dram. Kunst und Lit. tom. I. pag. 51. sqq. et 156. sq.

2) Ex iis scriptis, in quibus tragoediae graecae cum Rep. coniunctio negatur, praecipue, quae legantur, dignae sunt de Aristotelis poetica dissertt. par l'Abbé Batteux. Mém. de l'Acad. des Inscr. tom XXXIX. p. 54. sqq.

3) Ad hanc doctorum virorum de tragoediae fine et consilio dissensionem, bene ea referantur, quae eleganter, ut omnia, in adumbratio-

Ao

Ac de graecae tragoediae cum Republica et civium moribus coniunctione quaerentibus haud levis inde oboritur difficultas, quod, cum fabularum pars longe maxima interierit, iudicandum est ex paucissimis. In quibus, quae alii consilio poetas ad Reipublicae conformasse rationes putant, ea alii sua sponte ex omni fabulae prodiisse natura dicunt. Quodque mireris, Scholiastae, qui egregiam interpretationis varietatem adhibere suis scriptoribus soleant, de huiusmodi tragoediae cum civitate ratione adeo nihil produnt, ut prope eorum, qui negant fuisse ullam, confirmare opinionem videantur. Nec vero in hac re, cui plurimum omnes tribuunt, Aristoteles quicquam auctoritate sua proficit. Is enim, cum tragoediam miseratione et timore purgare has et similes perturbationes dicat, 1) hac definitione magis, quid possit tra-

ne quaestionis de Carminum Theocriteorum indole ac virtutibus p. 2. Eichstaedtius scripsit: „Sciscitanti mihi saepe numero indagantique caussas, quae distraxisse acutissimos viros in tam diversa viderentur, haec una maxime occurrit ratio, quod, quae carmina genere suo ac natura inter se differrent, non satis accurate distinxissent, et quae nonnullorum propria esset et peculiaris indoles, eamdem per nimiam sive lectionis, sive iudicii festinationem ad caetera transtulissent."

1) Poet. VI. 2. Si Aristoteles dixisset, metu et miseratione tragica animum nostrum ita moderari vel temperari, ut nec nimium illis affectibus moveremur, nec plane iis careremus: et plurimas, quae cogitari possunt, fabulas definitione sua comprehendisset, et omnia clarissima essent. Ac Lessingius (Hamb. Dramat. II. p. 165 sqq.) hoc voluisse eum probare studuit, ingeniosissime quidem, sed cupidius, opinor, quam verius. Nam philosophum de minuendis solum, non de excitandis et recte quasi excolendis illis perturbationibus cogitasse vel ipsa purgationis vox probat, pluribus locis (Polit. VIII. 7, 5. 6.) satis ab ipso Aristotele explicata, vel maxime ea ratio declarat, qua ibidem tragicam cum enthusiastica purgatione composuit.

goedia effici, quam, quid graeci poetae ea voluerint efficere, nos edocet. Qui vero tragoediam cum Republica et moribus civium ullam habuisse rationem infitiantur, vel eo suam sententiam plerisque comprobant, quod de omni poeseos natura dignius sentire, quam adversarii videntur. Scilicet, sicuti apes mel faciant, non, quo nostro usui inserviant, sed quia natura ad hoc impellantur sua; ita poetas, bonos certe, ad artem suam naturae incitari instinctu dicunt, neque quicquam eos velle aliud affirmant, nisi ut, quae vi quadam singulari mentem ipsorum impleant et commoveant, ea verbis quam pulcherrime enuntient. Quo si quid seu mali seu boni fecerint; id iure quidem poematis eorum aut vitio aut laudi verti; certo tamen consilio alicui minus recte tribui.

Verum, licet poeta nemo, (Ciceronis Platonem exprimentis verba sunt) sine inflammatione animorum exsistere possit, et sine quodam afflatu quasi furoris: tamen, quae in nobis omnibus vim maximam habent, tempora, quibus vivimus, vel homines, quibuscum coniuncti sumus, vel varii vitae casus, eadem in poetis momenti plurimum habere nemo non concesserit; nec sane illi aliis atque nos cogitationibus seu motibus animi afficiuntur; sed in eo tantum diversi a nobis et beatiores sunt, quod, quae nostros animos muta quadam parumque clara vi commovent, eorum illis pulchre digneque enuntiandorum benignior deus copiam fecit. Atque cum poetae plura cum philosophis et oratoribus habeant communia: hoc est proprium eorum, quod res, quas proferunt arte

sua, non tam invenisse cogitando, quam accepisse quasi afflatu quodam divino, vel creasse ipsi videntur; neque argumentatione frigida utuntur, sed imaginibus cogitata sua decoris exprimunt, eaque sic ad sensus nostros admovent, ut agi omnia motu aliquo mirabili et vivere ac spirare videantur. Jam vero, si tragoedia nobis ea proponit, in quibus animi humani aut perturbationum vis funesta cognoscatur, aut fortitudinis invictae atque virtutis omnis, compositae cum adversa fortuna, praestantia appareat: quomodo eos indigne agere poetas dicamus, qui non solum voluptate nos egregia perfundi spectantes aut legentes velint; verum id sequantur, ut tum a vitiis atque erroribus similibus nos avertant, tum virtutem nobis exemplorum vi gravissima commendent? Quod nemo, puto, sic accipiet, tanquam hoc modo poesis vile quoddam, quo illi, quodcunque visum fuerit, nos doceant, instrumentum fiat: sed, cum ipsi poetae sive cogitatione aliqua sive sensus conceptione moventur vehementius: impressione naturae suae ita percelluntur atque incitantur, ut effari sensa, quoque ipsi aut odio, aut amore et studio afficiantur, eius socios et participes nos habere omnes cupiant.

Itaque etiam apud recentiores poetas, (quorum in hoc ratio valde differt ab antiquis) certi cuiusdam atque, ut ita dicam, extra poesin positi finis exempla habemus plurima; veluti, ut taceam de Dante Aligerio, Torquato Tasso, aliis, epicis, Racinius tragicus, postquam a rebus terrestribus ad altiora convertit animum, fabularum suarum ita rationem immutavit,

ut amores similesque motus animi omnes reiiceret, atque tum in Esthere sua, tum in Athalia Dei omnipotentiam et iustitiam celebraret. 1) Atque item Lessingius, in Nathano sapienti fabula, id quod tunc maxime inter omnes disceptabatur, studebat ostendere, non e rebus externis, neque ex sacra, cui addictus quisquam sit, doctrina, sed e sola animi bonitate atque liberalitate homines esse aestimandos 2). Nuperrime vero in Gallis quidam tragoedias scripserunt, ita cum civitatis rationibus coniunctas, ut a censoribus vetarentur doceri. In quibus, si quos non tam poetarum, quam rhetorum mereri nomen dicas: id non rei vitium est, sed hominum: quandoquidem ii tantum perfecti poetae sunt, qui, quaecunque praeclare conceperunt animo, sermone sic enuntient, ut alterum altero non minutum et impeditum; sed pulchritudine et dignitate mutua auctum et exornatum esse videatur. Nec sane, quae natura sua omnium praestantissima et summa sunt: in Deum hominesque pietas et patriae amor et ceterae virtutes omnes, ea vel alia ulla arte haberi inferiora possunt, vel tragicae aliena! Et Caldero quidem in plurimis fabulis et Cervantes, praecipue in Numantia sua, ita constantiam et fortitudinem rerumque sacrarum vim admirabilem proposuerunt et commendarunt civibus, ut neque de voluntate et consilio eorum dubitare quisquam possit, nec

1) Oeuvres de J. Racine avec des commentaires par J. L. Geoffroy, tom V. préface.

2) Lessingius hoc se sua voluisse fabula ipse dicit alicubi in scriptis suis.

profecto negare illas fabulas summa poeseos laude esse quam dignissimas.

Quid igitur? quod tot exemplis, iisque recentiorum ex poësi collectis, patet, poetarum a natura non alienum esse, cives suos ut sive doceant fabulis, sive meliores reddere in suasque deducere opiniones studeant: in id non incidisse Athenienses putabimus, gentem illam mirabiliter agilem et strenuam, quaeque *nec festorum dierum celebrationem existimaret aliud quid esse, quam facere id, quod conduceret?* 1) Atque in tota Graecia musicae artis quidem summus propterea honos erat, quod vim egregiam in moribus hominum haberet moderandis. 2) Poesin vero Strabo 3) non oblectationis causa tantum a poetis, sed etiam a legum latoribus propter utilitatem refert maxime cultam esse et probatam. Cuius rei cum alia exempla multa exstent: aptissimum ad hanc quaestionem illud est Thaletis, Cretensis, de quo Plutarchus haec refert: 4) *Unum, qui in Creta inter sapientes et artium civilium peritos numerabatur, comitate et gratia inductum, Spartam misit:* (Lycurgus) *Thaletem. Habebatur hic poeta lyricus, atque sub huius specie artis, revera praestantissimorum legislatorum implebat munus. Carmina eius orationes erant, quae*

1) Thucyd. I, 70.

2) cf. den Tex disputat. de vi musices ad excolendum hominem e sententia Platonis. Traiecti ad Rhen. 1816.

3) I. c. 2. cf. Aristot. Polit. VIII. 4, 4 sqq.

4) vit. Lycurgi 4.

ad parendum et consentiendum incitarent pariter modis et numeris, in quibus multa inerat gravitas et delinimentum . . . Ita ille viam quodammodo Lycurgo ad cives instituendos munivit. At hic lyricus poeta erat, eiusque generis poeseos cum rebus publicis necessitudinem Tyrtaei, Archilochi, Alcaei, aliorum nomina tam claram reddiderunt, ut quaestio fere tantum de tragoedia sit; siquidem etiam comoedia in vita communi et in vitiis nostris omnes quasi radices habet suas, et ridendo nos mala et ridicula tum cognoscere docet, tum fugere.

Sed de tragoediae veteris qualitate recte iudicare nemo potest, nisi, qui bene, qualibus illa temporibus floruerit, animo infixum habeat. Non hic de Thespide velim cogitari; etenim eius aetate adhuc infans atque insitae suae vis inscia ars erat; sed de tempore inter Persicum et Peloponnesiacum bellum loquor, ad quod tum aliarum rerum plurimarum, tum tragicae artis flos summus pertinet. Tunc enim domestica et privata, qualis haec nostra est, vita pene nulla erat; sed, quicunque aliqua inter cives suos vi et arte praestabant, eam omnem ad Rempublicam conferebant. Ac multitudo quidem tunc, quo minus rerum gestarum clare causas et processus perspiciebat, eo de se suaque potentia, quippe qua tantus profligatus hostis esset, sentiebat altius, atque universa suo regere arbitrio gestiebat. 1) Qui vero urbi praeerant viri, omnes Solonis instituta et disciplinam

1) Plutarch. vit. Aristid. 7. et 22. cf. Aristot. polit. VIII, 6. 6.

per se maximi aestimaverunt quidem; sed plures ea, quemadmodum iam res haberent, parum apta esse arbitrabantur. Quare, postquam Athenienses sociorum voluntate imperii maritimi principatum nacti erant, multi maxime eo concusserunt illa, quod classem et rem nauticam augentes studiosissime, paulatim urbem ad mare deducebant, atque cives suos, qui statarii milites fuissent, nautas reddebant. 1)

Scimus omnes atque vidimus ipsi, quanta cum vi animos ea tempora commoveant, quibus in extremum discrimen adducti populi, de summa rerum subire contentionem cogantur. Quippe tunc omnia, quae singulorum seu laetius seu tristius commovere pectus solent, aliquamdiu exstincta quodammodo et reiecta esse videntur, nec quicquam nos ad se attrahit atque implet studio, nisi id, quod ad totius patriae quasi vitam atque universitatem pertineat. Neque, ubi tanta exorta est animorum concitatio, homines consistunt fere in eo, ex quo primum egressi sunt; sed experrecta semel vis, exsultans periculo, quod fecit sui, ab aliis ad alias res tendit, et cum malis temere optima multa et saluberrima evertit. Atque hoc maxime illis temporibus in Graecia et Athenis accidit. Siquidem, qui novis rebus studebant, partim cupiditate sua et consilio, partim funesta necessitate quadam impliciti et protracti, omnino vetusta omnia oppugnabant, atque, Solonis instituta pervertentes, plebis adeo augebant potentiam, ut postea ne

1) Plutarch. vit. Themist. 4.

ipsi quidem eam regere et coercere possent. Ad quam agendi temeritatem infeliciter accedebat philosophorum quorundam et rhetorum dicendi licentia, qua, auscultante multitudine, deorum religiones et oracula et similia aut irridentes aut excutientes liberius, ipsa, in quibus populi moderatio et totius Reipublicae salus posita erat, fundamenta gravissima subruebant. Poetarum vero, praecipue dramaticorum, illis temporibus eadem plane atque rhetorum vel oratorum erat conditio. 1) Quibus enim rebus maxime illi ad dicendum excitabantur, eaedem horum movebant animos; ipsaque deorum sacra, quibuscum ludi dramatici coniuncti erant, quasi sponte poetas, ut ad religiones et civitatem artem suam converterent, adducebant. Nec levis momenti est, quod magna pars fabularum, ut diximus, iam ab Homero aliisque poetis et philosophis ad docendos regendosque homines vel inventa erat vel conformata; comica autem poesis, germana tragoediae soror, omnis in Republica et moribus civium versabatur perstringendis: ut mirum sane esset, si haec sola propius accedere ad vitam noluisset, tunc praesertim, cum uni urbi poetae fabulas suas conscriberent, in qua non modo, quid potissimum petendum fugiendumve esset, clarissime intelligerent, sed etiam id, quod vellent, se assecuturos esse facillime sperarent.

1) Aristotelis locum, in quo actor cum rege sive oratore comparatur, verba ad populum faciente, iam supra memoravimus. Nec levior ille Platonis est in Gorg. p. 502, ubi Socrates poetas tragicos dicendi artifices nominat.

Itaque nullus ego dubito, quin huius aetatis tragici saepe tales sibi fabulas elegerint tractandas, quae quodammodo cognatae cum praesenti Reipublicae statu essent, quarumque exemplis civium aut mores conformarent, aut studia regerent, aut instituta aliqua seu commendarent, seu reprehenderent. Quo, quantum effecerint, alia, neque ea facilis quaestio est. Nam primum cum poetas, maximeque tragicos graecos, oratoribus comparaverimus: inter utrosque et modum eum, quo nos afficiunt, hoc potissimum interest, quod hos quidem scimus propterea verba facere, quod a nobis aut statui aliquid, aut fieri volunt; illos vero sic audimus, ut ante omnia iis oblectationem nostram propositam esse putemus; de aliis, quae praeterea efficere in nobis cupiant, non fere cogitemus. Deinde vero in tragoediis et personarum et actionis et animi perturbationum et aliarum rerum ea est vis et varietas, singularumque sententiarum acumina, et, in graecis, chori cantus et saltationes ita ad se animos attrahunt, ut paucissimi, praecipue, cum una tantum, ut erat fere apud Graecos, auditio datur, universam fabularum rationem percipiant; ad finem vero eum, quem potissimum secutus poeta sit, accuratam et tranquillam cogitationem vix quisquam adhibeat, nisi qui de eo monitione minime egebat. Atque hoc omni tempore multi tragici tam bene perspectum habebant, ut callide potius ad singula egregie exornanda, quam ad omnis fabularum institutionis concinnitatem industriam suam appellerent. Iisdemque causis dixeris factum esse,

ut Scholiastae de eiusmodi consiliis, quae secuti poetae essent, neque suspicarentur quicquam, neque in commentationibus suis mentionem facerent. 1) Accedit, quod fortasse neque ii tragici graeci, qui studiosissime ad Rempublicam poesin suam referebant, in omnibus suis fabulis hoc ita agebant, quin nonnunquam summum finem ipsam pulchritudinem atque id, quod dignum cothurno esset, sibi proponerent. Nec denique ego, cum Themistoclis et Periclis aetate maximam arti tragicae cum civitate intercessisse coniunctionem affirmo, eandem Alcibiadis mansisse temporibus existimo. Sed, ut magis et magis Atheniensium Respublica ad paucorum arbitrium et insanam plebis levitatem redibat: ita tragoedia magis recedebat ab illa, philosophiaeque et rhetorices irretita illecebris, tota ad ingenii ostentationem spectatorumque oblectationem se componebat.

Non igitur, siquidem haec tragoediae cum Republica necessitudo non in ipsa eius natura sita erat, sed ex temporibus pendebat omnis, mirandum est, quod eam Aristoteles ne verbo quidem memoraverit. Sed alium de ea testem locupletissimum, Aristophanem habemus, Comicum, qui cum in aliis locis plurimis, tum in Ranarum fabulae parte posteriore tam copiose, tamque graviter de illa poetarum cum

1) Mirum est, quantum ad remota tempora recte iudicanda, eorum, quibus ipsi vivimus, natura facit. Ex hoc intelligitur, cur grammatici isti in Antiquitate illustranda plura tam perverse egerint; nec, profecto, ut recentiore utar exemplo, Wielandius, cum aliorum veterum, tum Horatii interpres, egregius huius tempora, si nostra vidisset, cum Ludovici XIV. illis comparavisset.

civitate ratione loquitur, ut certe suam de ea re sententiam clarissime enuntiaverit. Inter alia enim, cum Euripides in hac fabula maxime de eo glorietur 1), quod sua arte Athenienses callidiores et rerum peritiores reddiderit: Aeschylus id ipsum vehementer vituperat, istumque cives, quos ipse, Marte plenis suis fabulis, ad bellicas virtutes inflammasset, ineptos nugatores et nebulones fecisse arguit. 2) Antea vero 3) Comicus Aeschylum haec facit quaerentem ex Euripide: *Responde mihi, quid maxime nos admirari in poetis oporteat?* ad quae hic, quippe, quo gravius postea confunderetur, illa respondit: *Dexteritatem et sapientiam, qua homines in civitatibus meliores reddimus.* Deinde vero 4) Aeschylus, *pueris quidem*, inquit, *appositi magistri sunt, qui doceant; adultis vero poetae.* Atque in extrema fubula chorus haec canit: *Vale iam, Aeschyle et serva urbem nostram bonis consiliis, et doce insipientes; sunt vero multi!*

Jam vero, postquam et argumentatione et testimoniis certe maxime probabile fecimus, tragoediae graecae cum civium moribus et Republica intercessisse aliquam necessitudinem: restat, ut tum exemplorum auctoritate sententiam nostram confirmemus, tum ipsum triumvirorum tragicorum cum suis temporibus rationem, qualis nobis quidem fuisse videtur, breviter describamus. Et gravissimum atque

1) v. 971. sqq. sed tota haec pars fabulae ad nostram causam pertinet.

2) v. 1013. sqq. 3) v. 1008. 4) 1054. sq.

antiquissimum, quod scimus, tragicae artis ad Rempublicam conversae exemplum, Phrynichi illam fabulam, Mileti expugnationem habemus, de qua supra dictum est; idemque poeta postea Phoenissas seu Persas docuit fabulam, de cuius cum Republica Atheniensium coniunctione sagaciter et docte Passovius disseruit. 1) Nam, ut in priore illa fabula Phrynichus domesticum Atheniensium malum exposuerat; ita in hac de Persis victoriam eorum celebravit. Cum vero Themistocles inter omnes, qui tunc intererant rebus gerendis, maxime de patriae salute esset meritus; vel alii plerique summa eum admiratione prosequebantur, vel inter poetas Phrynichus eius fuisse studiosissimus videtur. Neque hoc ille ignorabat vir callidissimus, nec sane is erat, qui, quod gloriam augere suam posset, negligeret. Quare Phoenissarum choro sumtu suo splendidissime instructo, laudis et victoriae cum Phrynicho quasi societatem iniit, eoque eum commovit magis, ut, quod fortasse vel sua sponte fuisset facturus, honorificentissime de navali illa ad Salamina pugna et de classis laude memoraret. Diximus iam antea, hoc ipsum classis et rerum nauticarum studium, quippe ex quo gravissimum Solonis institutis periculum immineret, maxime displicuisse optimatibus, atque Passovius egregie Aeschylum eo potissimum consilio scripsisse Persas docuit, ut victoriae illius summam quidem laudem ad deorum

1) In Orat., qua diem nat. Fr. Guil. III. celebrandum ind. Vratisl. 1818. cui praemissa meletemm. crit. in Aesch. Perss. multa continent cum nostra disputatione congruentissima.

numen referret; nec vero minimam rei bene gestae partem graviter armatorum tribuendam esse virtuti monstraret 1). Sed de his, qui plura cupiunt, ipsam illam disputationem legant: nos iam ad Aeschylum progredimur, virum illum Marathonium, cuius ad ingenium cognoscendum praeclare epitaphium facit illud 2), quod sibi composuisse ipse dicitur:

Aeschylum Euphorionis, Athenarum genus, haec iam
Terra Gelae condit marmore, triticea:
Virtutis specimen Marathonie campe fateris
Atque, experte tuo, Mede comate, malo!

Scilicet nullam in his Aeschylus poeseos suae mentionem facit; sed id tantum in bono cive dignum laude declarat, unde ad patriae salutem utilitatis aliquid redundaverit. Neque praetereundum est, quod hic solum Marathonia pugna commemoratur, omissa Salaminia et Plataeensi 3). Nam in illa res omnis Atheniensium gesta virtute erat; quare etiam Aristophanes nonnisi eius semper cum gloriatione summa civibus memoriam revocat; Plataeensis autem victoriae magna pars Lacedaemoniis ceterisque sociis

1) cf. Aristophanis, de Rep. maxime cum Aeschylo consentientis, locum Eqq. v. 1325. sqq.

2) in vita Aeschyli. De huius poetae epitaphio consentiunt nobiscum Pausanias (Att. p. 35.) et Athenaeus, (deipn. p. 627.), quorum hic quidem tantum apud veteres bellicae fortitudinis fuisse honorem scribit, ut vel Alcaeus et Archilochus inter omnes virtutes primum locum bellicae assignarent, vel Aeschylus prae ea poeticam suam gloriam, maximam, silentio praetermitteret. cf. Strabon. XIV. p. 895. et Quintil. institt. or. X. I. 63. cum adnot. Spaldingii.

3) His etiam proeliis interfuisse Aeschylum in vita eius legimus.

debebatur, et ex Salaminia gloria quidem eximia, verum etiam malorum omnium, ut optimatibus videbatur, initium Atheniensibus exortum erat. Sed Aeschylus quidem, cuius egregie Aristophanes strenuitatem et severitatem depinxit 1), cum inter acerrima tyrannidis cum libertate certamina adolevisset, huiusque et victoriam et Athenarum gloriam vidisset splendidissimam, maxime Solonis institutis partam: ad mediam provectus aetatem, in summam novarum rerum cum veteri disciplina contentionem incidit, nec sane male, quantum ex ea Respublica detrimenti esset captura, praesagivit. Non ergo potuit plane, quin, quibus unice commoveretur sensibus, eos fabulis suis graviter exprimeret, tum ad bellicam fortitudinem cives exhortando, tam ab arrogantia et levitate, crescente indies, eos revocando, tum vehementer illos oppugnando viros, qui bona Solonis instituta artibus suis everterent, indigneque plebi adulantes ipsi rerum potiri studerent. Ac propter bellicos spiritus maxime Septem adversus Thebas fabula et ab Aristophane laudatur 2) et ab Gorgia, Sophista, non Bacchi dei, sed Martis esse fetus dicitur 3); Persae autem, quae inscribitur, tragoedia tota ad moderationis deorumque reverentiae commendationem facta est 4); neque Prometheum

1) cf. Rann. fab. v. 804. 844. sqq. 1013. sqq. 2) Rann. v. 1019. sqq.

3) Plutarch. Symposs. VII, 10. Quanquam haec quoque fabula de reverentia, quam diis debeamus, monitorum est plenissima.

4) In Aristoph. Rann. v. 1026. sqq. Aeschylus dicit se etiam hac fabula cives ad bellicam inflammasse fortitudinem.

fabulam, de qua alii aliter iudicaverunt; ego seiungendam a Republica censeo, sed cum Passovio puto eam contra nimiam Periclis potentiam esse scriptam. Magis virorum doctorum de Eumenidibus concinunt iudicia 1), quippe qua in fabula Aeschylus ita antiquam Areopagi auctoritatem laudaverit, ut de consilio eius dubium esse nequeat. Etiam Agamemnonis et Choephorarum fabularum tristis illa sublimitas miseraque rerum secundarum, quae in iis exponitur, eversio ad moderandos hominum animos et arrogantiam reprimendam tam apta est, ut forsitan has quoque fabulas poeta ad Reipublicae civiumque usum direxerit. Non obliti sumus id, quod supra posuimus, in his non omnia ad eandem revocari legem et quasi normam posse; et sane, si qua alia, Agamemnon est fabula, quae non minus ad totum genus humanum pertinere, quam uni scripta esse urbi dicatur. Sed tamen de Aeschylo cum agimus, bene cogitandum est, quod magna et sublimia, quale eius erat, ingenia, non fere agere de rebus suo dignis studio queunt, quin, aetatis suae quasi egressi angustias, universi generis nostri egisse causam videantur 2): ad quod haud male preces illae faciunt, quibus apud Aristophanem 3) ille, digne et

1) v. Boettiger Furienmaske p. 100. et Schlegel üb. dram. Kunst und Lit. tom. I. p. 156.

2) Unum, quo magis mentem nostram explanemus, exemplum A. Guil. Schlegelii in l. l. tom. I. p. 163. sqq. de Prometheo disputationem laudamus, (cf. eiusd. l. p. 155. sqq.), de qua pluribus infra dicetur.

3) Rann. v. 886. sq. cf. etiam de vestitu, quo primum Aeschylus actores ornavit, Athen. deipn. p. 21.

graviter, *Cererem deam, mentis suae nutricem orat, ut sibi digno esse eius mysteriis liceat.*

Aeschylum secutus est Sophocles, propter humanitatem suam egregiam, ab ipso, qui neminem facile non carpsit, Aristophane cum laude memoratus 1), propter sermonis autem dulcedinem, apis Atticae nomine celebratus. Ac de huius poetae arte et indole Augusto Guilelmo Schlegelio 2), qui scripserit elegantius, scimus neminem. Qui vir, praeter alia, quae egregie disseruit, neque ea neglexit, quae de summa Sophoclis apud deos atque homines gratia veteres tradiderunt 3). Ex quibus, ut tantum id afferam, quod maxime ad has quaestiones pertinet, Sophoclis vitae auctor, morum eius tantam fuisse comitatem refert, ut a nemine non diligeretur; diis vero eum adeo fuisse gratum narrat, ut, cum aliquando ex acropoli corona quaedam aurea surrepta esset, per somnium illi Hercules, ubi esset abscondita, indicaret. Quo facto, rei detectae praemium, quod accepit, talentum, Sophocles in eo absumsit, Herculi indici ut templum exstrueret 4). Sed cum hanc Sophoclis humanitatem atque pietatem, qui de fabulis eius disputarunt, fere omnes laudaverint; mirum est profecto, quod amorum eius, quorum saepissime apud veteres mentio fit 5), aut nullam

1) Rann. v. 82. 787. sqq. cf. Plutarch. vit. Niciae. 15.

2) l. l. tom. I. p. 168. sqq. 3) vit. Soph.

4) Eadem fere Cicero narrat de divinat. I. 25.

5) Cic. de Senect. c. 14. de off. I. 40. Platon. Resp. I. p. 150. ed. Bip. Plut. vit. Pericl. 8. et maxime Athen. deipn. p. 510. 592. 603. sq.

plane

plane rationem habuerunt, aut tam leviter eos memorarunt, quasi eum animi affectum illis quidem aetatibus nullam in poetis vim habuisse existimassent. Quod nobis cur non ita videatur, pluribus infra docebimus; nunc accuratius de Sophoclis cum Republica et civibus suis ratione nostram sententiam exponemus. Atque ea quidem cum gravissima esset; tamen ita ab Aeschylea illa diversa erat, ut vel ingenii sui natura hi poetae maxime inter se differebant, vel temporibus, per quae omnes educamur quodammodo et conformamur, licet aequales essent, utebantur dissimilibus. Aeschylus enim, ut vidimus, ex perpetua contentione civili, et acerrimo de libertate certamine ad tragoedias aggressus scribendas, etiam in iis quasi pugnandum sibi pro veteri Solonis disciplina, et fortitudinem in civibus strenuamque virtutem excitandam esse censuit. Sophocles autem, qui, iuvenis, nec proeliorum, neque civilis dissidii interfuisset contentionibus; sed ipsos fructus illorum, gratissimam victoriarum laetitiam percepisset 1): in omni et vita et arte sua non tam acriter ea impugnabat, quae mala et reiicienda esse viderentur, quam studiose commendabat omnia, quaecunque pia, iusta, moderata, ab deorum hominumque voluntate vitam reddere tranquillam et felicem possent. Atque hac potissimum utriusque poetae naturae differentia dicas factum esse, ut Aristophanes in Ranis non Sophoclem reduci ab inferis, sed Aeschylum vel-

1) de graecae tragoediae principum aetatibus conf. Boeckhius in l. l. p. 48. sq.

let 1). Quanquam adversus mala ista irruentia, quid vel huius, vel alius cuiusvis potuisse nisum atque impetum putabimus? Peribant tunc, atque ipsorum vi temporum evertebantur vetera; hominesque, etiamsi interdum cum oblectatione quadam ea, quibus digne et praeclare ad illa revocarentur, auribus perciperent; tamen, animis aversis ab iis et obduratis, nova ista temere amplectebantur 2). Quodque haud immerito Pericli vitio vertitur, quod res Atheniensium magis sui ad ingenii vim admirabilem cupide direxerit, quam ipsarum ex natura atque usu prudenter moderarit: hoc ii, qui post eum summam rerum administrabant, adeo non fugerunt malum, ut fere nihil nisi, quod suis conduceret rationibus et cupiditatibus sequerentur; universam Reipublicae salutem prorsus negligerent.

Quis vero idem in arte sua Euripidem 3) fecisse negaverit? Scilicet in plerisque fabulis suis hic magis epica utitur licentia, quam tragoediae legum seve-

1) Ipse Aristophanes aliam eius rei causam profert, lepidissimam. Rann. v. 80. sqq. Ceterum, utrum ille vere Sophocli Aeschylum praetulerit, (cf Rann. v. 786. sqq. 1515. sqq.) an ita, omni fabulae suae ductus ratione, iudicaverit, nescimus. Aristodemus autem, Socratis sectator studiosissimus, tragicae artis principem Sophoclem dixit. Xenoph. memm. I. 4.

2) Aeschyli severitatem, dum vivebat, non valde probatam multitudini fuisse ex multis colligimus cf. Aristoph. Ran. 771. sqq. Egregie vero Aristophanes multitudinis iudicandi rationem Dionysi istis iudiciis expressit, quem in tota hac fabula licenter sane prorsus plebeium deum fecit.

3) Ad Euripidis eiusque similium artem potissimum id referas, quod Socrates iu Platonis Gorgia 502. tragicos placere vulgo, quam prodesse malle dicit.

ritatem sequitur: diffusa apud eum pene omnia ac dissoluta sunt, ad commovendos animos et sensus suaviter afficiendos mirabiliter accommodata; ab certo fine aliquo, cum Reipublicae rationibus coniuncto, remotissima. 1) Atque fabularum eius dispositionem leviorem chorique ab actoribus seiunctionem etiam Aristoteles reprehendit 2); ad nostram vero causam maxime ea faciunt, quae de universa Euripidis poesi Aristophanes iudicavit, et aequalis triumvirorum illorum tragicorum et Euripidis adversarius atque castigator perpetuus. Is enim, cum nihil praetermitteret, quod aliquo modo vituperari in hoc poeta posset; neque ea transiit silentio, quae ab arte in eius fabulis mala et vitiosa essent; sed ea tamen levius perstrinxit et maxime in risum vertere cavillando studuit 3); gravissime autem atque itidem fere, ut in orationibus suis Demosthenes Aeschinem, tanquam civem malum Euripidem exagitavit, qui cantilenarum suarum mollitie effeminaret homines 4), qui ab Aeschylea gravitate ad miserias deducta arte, turpibus personis et incestibus inducendis, civium mores depravaret 5), qui disceptationum subtilium sua-

1) Qui ab hoc crimine defendere Euripidem conatus est, Valckenarius, (diatr. p. 250. sqq.) artem et voluntatem ei tribuit, vitio tam similem, qua civibus suis facile noceret magis, quam prodesset. Nec tamen ego negaverim, Euripidem fabulis suis docere et erudire Athenienses voluisse; sed accidit ei, quod aliis multis, ut non satis, quam sua illis apta esset eruditio, cogitaret.

2) poet. XIII. 10. XVIII. 21.

3) Rann. v. 937. sqq. 4) Ibid. 1298. sqq.

5) Ibid. 1043. sqq. 1078. sqq. 1058. sqq.

rum illecebris ab gymnicis exercitiis ad garriendi libidinem iuventutem deduceret 1), malaque arte in utramque partem disputando, et legum sanctissimarum auctoritatem et deorum reverentiam subrueret. 2)

Sed iam de tragoediae graecae cum Republica et moribus civium coniunctione mihi satis dixisse videor; quare tantum id addo, quod, sicuti in omnibus Sophocles medium inter Aeschylum et Euripidem quasi cursum tenuit, ita magnam gloriae suae partem eo esse meritus videtur, quod neque, ut hic, artem suam a Reipublicae rationibus plane seiunxit, frivolisque vulgi studiis accommodavit, neque ut ille eam ad singula civitatis instituta adhibuit seu commendanda seu impugnanda; verum in eo se continuit loco, in quo tum civium usui dignissime inserviret, tum artem suam ad pulchritudinis perfectam speciem praeclarissime conformaret.

1) Ibid. 953. sqq. 1069. sqq.

2) Ibid. 892. sqq. 936. 1071. 1520. sqq. Praeterea etiam in Thesmophorr. et in nubb. loci plurimi sunt huc pertinentes. cf. Valcken. diatr. p. 34. sqq. Aristophanes, ut patet, multa Euripidi vitio vertit, quae gravissime etiam in philosophis sui temporis notavit; neque fortasse, si primos illos Thespidis conatus vidisset, aliter de iis atque Solon iudicavisset.

DE SOPHOCLIS AIACE. *)

Sophoclis Aiacem fabulam legit fere nemo, quin, summopere admiratus plurima, in eo offenderit, quod post mortem illius viri, egregie tragicam, de eo sepeliendo inter Atridas et Teucrum disceptatio ista habetur sane vehemens et longa. Ac multi quidem, severius exercentes iudicium, hanc fabulae partem graviter reprehenderunt, ut languidam, ineptam, nec tragica sublimitate nec Sophocle dignam. Ex quibus, cum omnium eodem redeat accusatio, unus in medium Lobeckius procedat, sagacitate et doctrina vir excellentissimus, qui in Aiacis editione sua haec scripsit 1): „Carmen tam splendidum et *autotragikon* ex manibus emittere non possum, quin producam velut epicitharisma post fabulam ea, quae de Aiacis morte legimus, quae utinam nostrum terminasset carmen. Inest enim in hac postrema fabulae parte a v. 1040 usque ad clausulam tanta tenuitas, ut cum Aiacis morte ipsa etiam fabula exstingui videatur. At-

*) De hac fabula iam in Lycei Varsaviensis programmate (ed. 1817. disputavi; nunc vero multa addidi atque aliter institui. Simpliciter autem fabulam Aiacem nominavi, quia sic in didascaliis inscripta fuisse traditur, neque video, cur etiamnunc epitheta ista repetantur, haud dubie non ab Sophocle profecta.

1) ad v. 862.

que in hoc quidem vitium crebro delabi Sophoclem, aut exhaustis omnibus aut non aequabiliter partitis coloribus, (quo fit, ut initio valida spatio languescant,) iam antiquiores illi artis poeticae disceptatores animadverterunt." 1) Quibus, si minus propter gravitatem, at propter vetustatem, ista addimus Coelii Rhodigini 2) „Scire oportet in Aiace mastigophoro Sophoclis frigus taxari, ut qui tragicos affectus in comoediae humilitatem remollierit, dum, mortuo iam Aiace, de eiusdem sepeliendi ratione frigidius orationem producit, quam par erat."

Nec tamen defuerunt, qui patrocinium fabulae susciperent, defensione eius maxime inde ducta, quod tam graves illis temporibus mortuorum exsequiae haberentur, ut haec non posset finiri fabula, nisi de Aiacis sepultura, negata ab Atridis, spectatorum animis metus fuisset exemtus. 3) Sed, cum concedant omnes, nihil veteribus fuisse sanctius, quam ut iusta mortuis funebria fierent, vereor tamen, ut ea re illud a nostra fabula crimen removeatur. Lis enim omnis in ea quaestione vertitur, cur Sophocles Atridas adeo infensos Aiaci finxerit, ut de eo sepeliendo haec oriri posset disceptatio. 4)

1) „v. Plutarch. de Audit. T. II. p. 45. B. Dionys. Hal. Judic. Scriptt. p. 69. Longin. De Sublim. XXXIII. p. 122. ed. Toup."

2) lectt. antiq. l. XXI. p. 817.

3) Mosche über die Tragoedie des Soph. Aias. Eandemque sententiam, Brumoeus et Laharpius et alii tulerunt.

4) De hoc Hermannus disputavit ad v. 852. „Hoc postremum quidem declinari poterat. Nam poetae hoc inventum est, infensos Aiaci esse

Ad quod cum parum attenderint, qui in hanc fabulam inquisiverunt viri docti, factum est, ut, si qui iam satis rem per se explanatam esse putabant, denuo alii exsisterent, qui alia ratione eam conarentur expedire. Veluti post Jacobsium, virum celeberrimum, qui bene hanc fabulae partem neque actione carere, et propter sepulturae gravitatem summumque Atridarum et totius exercitus in Aiacem odium necessariam fuisse docuit 1): Süvernius 2), vir illustrissimus, in plurimis consentiens cum Jacobsio, maxime eo contentionem istam defendere studuit, quod „cum ab initio dramatis semper Aiacis persona cum Graecorum exercitu componatur, ostendi debuerit, non vana esse cum Atridarum iram, tum auxilium Teucri . . . et, Ulysse praeter spem nostram hic inimicissimi causam suscipiente, peripetia nova efficitur; et praeclarissima, quae tragoediae sic concinnae et numeris suis absolutae coronam imponit."

Ac post eum ingeniose quidem, sed minime probabiliter Bernhardi 3), vir de aliis literis egregie

Atridas, qui, ut lis de sepultura oriri posset, Aiacem dixerit, non insanientem, sed compotem mentis suae necem illis intulisse. De quo invento utut statuatur, tamen non contendam, Sophoclem hic . . . e maxima sublimitate ad inanem verborum strepitum delapsum esse. Reputare enim debemus, quaedam, quae hodie vix recte percipi possunt, apud Athenienses maximo cum favore excepta esse: cuiusmodi est Athenarum mentio in hac oratione Aiacis, et crudelitas Menelai, in quo mores et ingenia Lacedaemoniorum expressa esse putabantur."

1) Nachträge zu Sulzers allg. Theorie d. schönen Künste IV, 1. p. 118.

2) In dissert. De Sophoclis Aiace flagellifero. Thorun. 1800.

3) Ueber den Aiax des Sophokles Berlin, 1813.

meritus iamque mortuus, Sophoclem cum in omni hac fabula Homeri Iliadem imitatum esse, tum in extrema eius parte huius carminis librum vicesimum quartum expressisse demonstrabat. Schlegelius autem de extrema Aiacis parte haec fere censuit 1): ,, Arrogantiae suae Aiax pudore intolerabili, quo post turpem insaniam ad mortem compellebatur, poenas dedit. Hic malorum eius finis erat, nec permitti poterat, ut, quod minabantur inimici, insepultus abiiceretur. Ad hoc igitur Ulyssem inducit poeta, eundem, quem Aiax pro acerbissimo adversario suo habuisset, cuique in exordio fabulae Minerva, ipsius Aiacis tristi exemplo, quam res humanae omnes fragiles essent, demonstrasset. Atque hic vir moderatam illam repraesentat sapientiam, qua Aiax, si uti voluisset, casum suum infelicem fugisset". At Ulyssis temperantiam iam supra ostendit Sophocles; quo vero Aiax periisset vitio, tam clare per totam fabulam exposuit, ut nova eius rei non certe necessaria esset significatio. Neque igitur in his quisquam latere causam crediderit, cur Sophocles Atridas tam infensos Aiaci fecerit.

Nuperrime vero de Sophoclis Aiace Osannus, vir doctus, libellum edidit 2), in quo de summa fabulae fere haec disputat 3): Aiax arrogantia sua cum omnium deorum, tum maxime Minervae in se iram excitaverat. Itaque haec, implacabilis dea, non

1) Ueber dramat. K. u. Lit. I. p. 189.

2) Ueber des Sophocles Aias. Berlin 1820. 3) p. 30. sqq.

modo turpi morte perire eum voluit, sed effecit etiam, ut Atridae sepeliri mortuum vetarent. In quo hos quidem, qui sua potissimum iniustitia insaniae et mortis Aiacis auctores fuissent, Osannus ideo ab poeta tam feroces factos esse dicit, ut erga eos certe huius viri culpa levior videretur. Teucer autem frustra contra Atridarum voluntatem iusta fratri solvere conatur, donec demum Minerva, mota scilicet miseriis Aiacis ita prostrati, per Ulyssis personam se placatam esse significat et Teucro illius sepeliendi copiam facit. In his plura sunt, de quibus, quid nobis videatur, ex ipsa nostra de hac fabula disputatione cognoscetur; hic autem breviter de alia quadam Osanni opinione dicemus, ab audacia non minus, quam a novitate mirabili. Etenim ille, cum vel ea, quam modo proposuimus, ratione huius fabulae institutionem satis expeditam putaret: eximiam tamen ei accedere illustrationem credidit, si Aiacem fabulam non solam editam esse, sed ad tetralogiam pertinuisse sumeret, cuius ipsa quidem secunda, Armorum iudicium prima, Teucer tertia tragoedia, satyricum vero drama Salamis fuisset. At vero, ut concedamus viro docto, quod re vera maxime est probabile 1), etiam Sophoclem nonnunquam tetralogiis certasse, utque errasse Bentleium faciamus, Salamina, Satyros, in huius poetae fabulis expungentem 2): sunt tamen plures causae, cur illam sententiam magis dictu spe-

1) cf. quem etiam Osannus laudavit, Boeckh. de gr. tr. princc. p. 105. sq.

2) Opuscc. philol. p. 500. sqq.

ciosam habeamus, quam veritate commendabilem? Primum enim admodum dubitamus, quin tragici, cum certe non ipsi, quas modo graviter tractavissent, res in ludibrium vellent vertere, tragoediis suis usquam satyricam addiderint, in qua illarum heroes cum lasciva Satyrorum petulantia essent compositi 1). Deinde vero, quod non levis momenti est, et ab ipso conceditur Osanno, Sophoclis Armorum iudicium, tragoedia, nusquam memoratur: ut ex tetralogia ista tantummodo Aiax atque Teucer reliquae sint fabulae, quae, quam exigua cum fide propter virorum illorum cognationem ad trilogiam aliquam revocentur, aliae, quae supersunt, ipsius Sophoclis tragoediae, Oedipus uterque et Antigone declarant. Sed denique Aiacis fabulae utique ea est dispositio, in qua omnium partium plenissima ex ipsarum natura reddi ratio possit, quaeque nullo modo nos ad inaudita, nescio quae, et mirabilia commenta cogat refugere.

Cum vero omnino difficile sit, ex eo, quod fecit aliquis, qua id mente, quove consilio fecerit, coniicere: poetarum in operibus ipsorum componendis consilia investigantibus nobis ante omnia, quasi fundamenta futuri iudicii, ea erunt conquirenda, quae de universa artis eorum ratione aliquam significationem habeant. Quae quidem quo rariora sunt in Antiquitatis monumentis illis mire disiectis, eo mi-

1) cf. de paucissimis, quarum singulae fabulae nominantur, tetralogiis Aeschyli Agamemnonis argum. eiusdemque Persarum argum. et Euripidis Medeae argum. atque Aelian. V. H. II. 8.

nus nos quisquam reprehenderit arripientes etiam levissima. Vide tamen in re nostra, praeter ea, quae supra de Sophoclis ingenio et moribus disputavimus, an levia illa sint, quae apud Aristotelem legimus 1): *Sophocles dixit, se quales oporteret, facere homines; Euripidem, quales essent.* Quibus similia Chamaeleon narravit 2): *Sophocles obiicere Aeschylo solebat, etiam si qua recte faceret, inscium ea facere.* Scilicet haec hominis sunt cogitantis de eo, quod faceret, et ad speciem quandam perfectionis, infixam animo, artem suam dirigentis. Haud igitur facile Sophocli inconsideratum vel ineptum quicquam licebit tribuere; sed rectius eum non solum in actione adornanda et in personarum moribus fingendis et in verborum delectu studiosum atque circumspectum fuisse sumemus; verum etiam in instituendis suis fabulis eum singulas partes omnes ad certum aliquod revocasse consilium putabimus. In quo neque illa negligenda sunt Aristotelis 3): *Chorum quoque unum ex actoribus existimare oportet, partemque esse totius, et una agere, non ut Euripides, sed ut Sophocles.*

Nonne igitur temerarios eos habeamus iudices, qui de Sophoclis fabulis sic agunt, quasi singulae earum partes subito et inter scribendum ei subortae essent, veluti Tyrwhittus, 4) „saepius videri epis-

1) poet. XXVI. 11.

2) Apud Athen. deipn. 22. cf. de Sophoclis in arte sua perficienda studio Plutarch. de profect. virt. p. 294.

3) Poet. XVIII, 21.

4) Ad Aristot. poet. X. 5. cf. Dan. Heinsium de trag. constit. c. VI.

odia addita, sit, ut iusta spectaculo magnitudo daretur, idque fortasse in causa fuisse, quare Sophocles in Aiace longam illam de sepultura disceptationem addiderit."? Cum vero haec non posset exoriri disceptatio, nisi maxime illi viro infensi Atridae fuissent: nonne certo consilio ductum Sophoclem, id quod primus fecit, hoc finxisse odium credamus? Sed, verendum est enim, ne, in singulas fabulae partes inquirentibus, seiunctas a reliquis, parum distincte omnium ratio perspiciatur, primum quidem de fine dicemus, quem potissimum in hac tragoedia secutus esse poeta videatur; deinde vero monstrare viam conabimur, qua ad eum progressus sit.

Atque finem tragoediae suae Sophocles, ut mihi videtur, satis clare, ipse pluribus locis indicavit. In exordio 1) enim Minerva dea, postquam Ulyssi luctificam Aiacis cladem ostendit, graviter haec monet: 2)

Haec intueter, nec ferocioribus
Unquam lacesse coelites dictis deos,
Nec insolenter te geras, si plusculum,
Quam ceteri dextra vel auro polleas.
Mortalium res auget et premit dies:
Amant modestos, exsecrantur Dii malos.

Postea 3) vero nuntius Calchantem vatem Teucro haec dixisse refert:

idem fere indicantem, et Borhekii ineptam adnot. p. 271. in: Sophokles bestrafter Aias.

1) v. 127. sqq. ed. Erf. min.

2) Graece nescientium causa ex Ratalleri versione locos apposuimus.

3) v. 745. sqq.

Summa at viri, quicunque sunt potentia,
Simulque magna praediti immodestia,
In calamitates saepe duras incidunt
Divinitus. Sic inquit Augur, legibus
Qui sunt sati mortalibus, nec, ut hominum
Natura mensque poscit infirma, sapiunt.

Denique ex Menelai 1) oratione ad haec illa pertinent:

unus hic dum viveret,
Semper meis parere iussis rennuit.
Privatus at quicunque degit, si obsequi
Recusat his Reipublicae qui praesident,
Perversi id indicium viri, nec legibus
Florebit unquam, si metus deest, civitas:
Nec bene regetur ullus unquam exercitus,
Nisi sit pudore, veluti vallis, et metu
Munitus. Atqui cogitare quemlibet
Hoc convenit, licet antecellat viribus,
Levi repente cadere posse se malo.

Quibus accurate examinatis recte nobis statuere videmur, Sophoclem Aiacis exemplo docere cives voluisse, quam graviter puniri ii soleant, qui, nimia sui elati fiducia, nec diis neque hominibus iustam tribuant reverentiam.

Cum vero Sophocles neque acerbam Aeschyli severitatem probaret, neque Euripidis istam imitari levitatem vellet, qua, verbi gratia, in Hippolyto deas et Dianam 2) et Venerem 3) induxit indigne crudeles et iniustas: in hac fabula, qua deos arrogan-

1) v. 1048 sqq. 2) v. 1420. sqq. ed. Valck.
3) In exordio fabulae.

tiae et impietatis ultores esset gravissimos monstraturus, simul erga moderatos homines benevolentiam eorum proponere eam studuit, quae et terrorem nimium minueret et commotos spectatorum animos consolatione quadam gratissima confirmaret. Ad quod, quantum ego sentio, nihil excogitari aptius potuit, quam Aiaci Ulysses appositus, vel ejus in armis Achilleis expetendis aemulus et Graecorum iudicio victor, vel Minervae ob moderationem suam et pietatem unus hominum omnium probatissimus. Nec vero hoc instituto Sophocles solum sapientiam et humanitatem suam probavit eximiam, sed etiam ipsius poematis varietatem et vim atque pulchritudinem ea exemplorum coniunctione auxit quam maxime. Quibus positis, praecipue id videtur observandum esse, quod poeta huius fabulae duas quasi partes fecit, in quarum altera et moderati et arrogantis viri cum diis rationem ostendit, in altera utriusque in hominum societate atque in exercitu conditionem exposuit.

Nec vero primum Aiacem inducit, Minervae ira mente turbatum, sed Ulyssem, circa huius viri tentorium vestigia quaedam facit explorantem, cui dea, laudato propter strenuitatem suam et sollertiam, in omnibus, quae agat, sese adesse propitiam dicit. Itaque nunc quoque non solum, quod scire ille cupiebat, quis greges noctu occiderit, eum docet; verum etiam, quid vere propositum Aiax habuerit, enarrat, suamque ipsius ei mentem aperit, quomodo et, qua de causa, Graecis servatis ex peri-

culo, tam graviter Aiacem fefellerit, demonstrando. In quibus, cum summam deorum erga sapientes homines benignitatem cognoscamus: Ulysses non casu quodam aut vitio, ut nonnulli putaverunt, sed ideo a poeta factus est timidior, ut tum insignis eius erga deos obedientia appareret, tum deorum in bonis tuendis potentia conspiceretur admirabilis. Brumoeus 1) autem, puto, eam timiditatem non indignam Ulysse habuisset, si cogitasset etiam de honesto variis temporibus hominum opinionem esse variam, nec fere Graecos subiisse pericula, ex quibus neque utilitatis nec gloriae quicquam se sperarent capturos. Praeterea autem ipse Ulysses dicit illum, si mentis suae compos esset, sibi non fore ita terribilem.

His igitur praemissis, Minerva evocat Aiacem ex tentorio, eumque, cuius ipsa, dea, mortalis, mentem pervertit, tam acerbe irridet, ut indignaremur eam, nisi vel istum coram videremus hominem arrogantiorem, vel eiusdem deae erga Ulyssem modo cognovissemus bonitatem egregiam. Aiace vero, qui, arietibus iugulatis, adversarios se, Atridas et Ulyssem, opinatur ultum esse, regresso in tentorium, Minerva versibus illis, quos apposuimus, et Ulyssem et spectatores sane quam graviter, ne quid arroganter unquam et impie agant, cohortatur.

Certe hoc quoque exordium, si vidisset fabulam, Pindarus splendidam inchoati operis frontem dixisset! Dignissime enim in eo dea inducitur,

1) l. l. tom. II. p. 366.

gravis malorum ultrix, bonorum patrona, moderationis iustae et sapientiae magistra. Aiacis autem vitium sic nobis ante oculos ponitur, ut saltem non inique eum punitum esse intelligamus, itemque Ulyssis, quem acerbissimis ille, ut pessimum hominem, conviciis prosequitur, eam poeta humanitatem ostendit, ut in hoc quoque, unde tanta in Aiacem odia et mala exorta sint, clare perspiciamus. Simul vero in hoc exordio, quaecunque de hac fabula intererat scire, apte edocemur. Nam Aiacem, armis Achilleis Graecorum iudicio non ipsi, sed Ulyssi tributis, tanto correptum esse furore accipimus, ut nocte eà, quae hanc antecessit fabulam, Atridas Graecorumque duces omnes vellet occidere; Minerva autem impii viri ita mentem perturbavit, ut errore turpi pro illis boves et arietes interimeret. Denique vero dea imperat Ulyssi, ut Aiacis et insaniam et insidias exercitui factas Graecis renuntiet 1).

Gravissimae hae erant Aiacis calamitates, nec tamen eam vim habebant, ut utique ad mortem eum compellerent. Sophocles enim, cum ubique deos impietatis ultores severos faciat, tamen eosdem benevolos generi humano et placabiles esse demonstrat, nosque, modo eorum et naturae legibus, quae debentur, tribuamus, facile ab iis impunitatem assequi et felicitatem docet. Itaque hic quoque Minerva Aiacem punire quidem et quasi reprimere in humanae naturae fines studuit, perdere noluit

1) v. 67. cf. 148. sqq.

luit. 1) Id enim tam clare, quam quod maxime, Sophocles declarat illis 2):

Ex concione principum secesserat
Calchas relictis augur Atridis; dein
Teucrum prehendens perquam amice dextera,
Ut diligenter hoc potissimum die
Servetur Aiax omnibus iubet modis,
Tentoriis ne quo recedat longius,
Vita fruentem si modo post hac eum
Cupit videre, namque solo ille hoc die
Ira Minervae affligitur deae gravi.

Et idem infra:

Verum, o viri, hac si luce vixerit, Deo
Favente, salvus, ut monet vates, erit.

Potuisset igitur Aiax, quod ipse vidit 3), et servari et in gratiam cum diis atque hominibus redire, si non Aiax, atque talis fuisset, qualem non debere esse mortalem quemquam poeta eius exemplo nos docere voluit. Sed ille, diis aeque atque hominibus cedere nescius, ignominiam eam, qua affectus ab utrisque esset, intolerabilem habuit, quamque tali vita praestantiorem ducebat, mortem sua manu sibi conscivit.

Atque hoc in loco mihi dicendum esse de eo video, quod Sophocles Aiaci, antequam se interficeret, orationem illam tribuit, qua, ficta moderatione, moriendi consilium suum mutatum esse, seque in posterum se summittere Minervae et Atridis velle amicis persuasit.

1) cf. exord. fab. 2) v. 756. sqq. 3) v. 661. sqq.

Nunc non ad manus sunt libri omnes doctorum virorum, qui de hac egerunt fabula; sed, quantum memini, mirati sunt plures, quod simplex et fortis herois animus ad fraudem eam confugerit, parum moribus ipsius aptam. Peripetiam inde novam ortam esse apparet; sed ea mala fuerit, a veritate si aberravit. Videamus igitur primum, quale Aiacis ingenium Homerus fecerit, caput illud et fons poetarum, cuius ad narrationes maxime tragicos, quasi lege quadam obstrictos, suas conformasse personas constat. Atque ille eum ubique virum fortem, vehementem, implacabilem, denique eum finxit, quem in reliqua fabula sua etiam Sophocles expressit. Nec vero apud Homerum Aiax magnum se dicendi artificem exhibet; sed, cum Ulysse et Phoenice legatus ad Achillem, nihil nisi brevi oratione, quod implacabilis ille sit, nec misereatur amicorum, conqueritur. Cogitandum est tamen, quod Homerus Aiacem nobis tantum ut bellatorem proposuit, de aliis virtutibus eius et de vita domestica nullam mentionem fecit. Non ergo haec quidem Aiacis cognitio ab eo potest peti, sed omnis de fraude illa quaestio est ad ipsam Sophoclis fabulam revocanda. In ea autem cum poeta impietatem viri atque in eos, qui sive laudum ipsius aemuli sive potentia superiores essent, arrogantiam eam monstraverit, quae haud immerito eum in tanta incidisse mala probaret: in aliis tantam eius humanitatem expressit, quae eximiam spectatorum moveret misericordiam. Benevole enim et amice ubique cum sociis suis colloquitur; in Tecmes-

sam autem, quam valde amabat 1), semel tantum vehementius invehitur, pudore victus iusto, quod tam acerbe casus suos lamentari coram muliere cogeretur, cui ipse semper tales gemitus ignavi et imbellis viri esse dixisset 2). Cum vero etiam erga patrem amorem suum saepius significet, sapientissime et aptissime ei naturae Sophocles id instituit, quod Aiacem et filii sui parvuli et matris, Eriboeae, fecit amantissimum. Non ergo ille nisi ferocitate, nullo alio sensu commovebatur; sed, ut suos omnes maximopere diligebat, ita de vita, aliquando ipsi quoque iucundissima, decedere sic volebat, ut illorum precibus non impediretur, sed postremo suo, et eo parvo, libere frueretur temporis momento. Quod cum assequi aliter nequiret, fraudem illam excogitavit, eo minus a moribus ipsius alienam, quo minus ea tale quid quaesivit, quod peti vi et virtute posset, sed non nisi ab vitae onere ea sese liberare cupiit, intolerabili. Insunt praeterea in hac oratione plura, quae facile Tecmessae et choro de eo, quod vere moliretur Aiax, suspicionem movere potuissent; sed ea, siquidem potius ad singulorum artem, quam ad totius fabulae institutionem pertinent, nunc quidem mittimus, atque ad alia progredimur, in hac fabula aestimanda graviora.

Etenim, cum Aiax, confectus ira et dolore, se interficere constituisset, supererant multa, quae, licet in vita eum non possent retinere, mortem tamen ei acerbio-

1) v. 795. 2) v. 312. sqq.

rem redderent. In quibus praecipue de Eurysace, filiolo, cura erat, quem afferri sibi in scenam iubet, magnaque cum animi commotione, in ceteris ut sui, patris, similis, sed felicior ut fiat, optat. Atque eum Telamoni et Eriboeae, parentibus, et Tecmessae, matri, se relinquere solatio dicit, neque leviter se ipsum eo consolatur, quod Eurysaces aliquando ab adversariis gravem sui ultionem sit exacturus. Quod vero Tecmessa metuit, ne, ipso mortuo, de filio Atridae poenas sumant, contra id ei praesidium fore in Teucro sperat, atque sic, quasi rebus suis, hac quidem ex parte, bene constitutis, in litus remotum secedit. Hic autem, gladio suo, fatali illo Hectoris dono, in terra defixo, Jovem id solum orat, ut, priusquam mortuus ab inimicis canum et volucrum abiici praeda possit, inventus ab Teucro, sepeliatur; denique, Atridis ac toti Graecorum exercitui exsecrationes imprecatus gravissimas, se conficit.

Abstinemus ab laudanda hac fabulae nostrae parte excellentissima, quandoquidem magis id nostram ad se attrahit industriam, quod iam ad ea pervenimus, quae ipsa vituperantur a plerisque tanquam longa, inepta, Sophoclis arte parum digna.

Duplicem in his examinandis nos sequi posse rationem videmus, ut aut ad universa tragicae artis praecepta quaedam fabulam revocemus, aut ad Graecorum potissimum mores et instituta nostram quaestionem dirigamus. Illius vero generis praecepta cum, inde ab Aristotele, omni tempore plurima edita sint a viris doctis: veremur tamen, ne specie potius, quam re

vera inveniantur universa: Etenim consentiunt quidem illa fere in iis, de quibus nullum esse dubium potest; de singulis autem artis partibus, ut tempora, ut nationes, ut ipsorum poetarum excellentium inter se ingenia differebant, artisque exemplaria producebant diversa: ita inter se illa discrepant iudicia. Quamobrem nos relinquimus ancipitem hanc viam, atque alteram illam ingredimur, ad antiqua Graecorum instituta ducentem. In ea autem, saltem Aeschyli et Sophoclis tragoediarum exemplo docemur, non tam id illos egisse poetas, ut in exitu fabularum commotionem terroremque, quantum possent, maximum excitarent, quam ut has et similes moderarent perturbationes, sapientique monitione aliqua, quid maxime ipsis petendum fugiendumve esset, spectatoribus significarent. Itaque, cum in omnibus et veteris et recentioris poeseos monumentis ea gravissima sit quaestio, an suae apta esse aetati videantur: etiam nobis hic ante omnia id quaerendum erit, an suorum aequalium rationibus poeta satis fecerit, atque ita suam composuerit fabulam, ut etiam post obitum Aiacis quae proponerentur, imminuto cum studio et cum eadem, quam priora excitavissent, oblectatione audirentur. Quanquam omnia illum tunc tulisse puncta putabimus, si plurima certe etiam in extrema hac fabula reperientur talia, quae nulla aetas non laude et admiratione prosequatur eximia.

Atque id quidem, an sepultus Aiax fuerit, non potuisse in dubio relinqui, omnes concedunt. Se-

pultura enim et omnino gravissima veteribus videbatur, et Aiax in novissimis suis verbis ipse metuere se significaverat, ne, per Atridas eo privatus honore, volucrum et canum praeda fieret. Praeterea autem Aiax, heros, imprimis colebatur ab Atheniensibus 1), atque moribundus non solum Salamina, patriam, sed etiam claras Athenas valere iusserat; denique calamitatibus suis et morte tristi tantam in omnibus moverat misericordiam, ut vel maxime eum ultimorum votorum suorum compotem vellent fieri. Accedit, quod Sophocles, quae eius erat humanitas, plerumque in fabulis suis, si cuius, ceteroquin boni hominis, unum aliquod vitium sive errorem aliquem gravius punitum ostenderat, alias virtutes eius debito ornare praeconio studebat 2). Cum vero in exordio fabulae Aiacem, antequam insanus factus esset, prudentissimum fuisse dixisset: laudibus suis etiam bellica eius fortitudo ornanda erat, quippe quae et in Graecis gravissima haberetur et Homeri carminibus esset celebratissima. Itaque plures fuisse causas videmus, cur nostra longius produceretur fabula; sed praeterea erat alia tam gravis, ut, si hic finis eius factus esset, eam aut non absolutam esse ab poeta diceremus, aut temporum iniuria mutilatam.

Etenim Aiax se interficiendo id saltem erat assecutus, ut nec Minervae neque Atridis se summit-

1) Pind. Nem. II. 19. Schol. Herodot. V. 66. cf. Plutarch. Solon. X. et Sympos. I. 10.

2) cf. Oedipi Regis fab. clausulam et in Trachinn. Deianirae tum erroris excusationem tum luctificae necis descriptionem a. v. 666 – 949. et 1116 – 1144. et totam Oedipum in Colono.

teret, sed ex hac contentione decederet quasi invictus. Cum vero Sophocles deos non, sicuti Aeschylus in Prometheo tyrannos crudeles facere, verum ut impietatis ultores severos quidem proponere, sed iustos vellet: quomodo ita finire poterat fabulam, ut is, quem frangere dii voluissent, de iis reportasse victoriam videretur? Jam ergo id reliquum erat, ut istam, quae videri aliqua victoria posset, omnes intelligerent re vera cladem esse plenissimam et maxime luctificam; idque ut fieret, necesse erat, Sophocles vehemens istud Atridarum in Aiacem odium fingeret. Non me fugit, quid his cum specie quadam veritatis opponi queat: nempe ea, quae iam exponantur, mala in Aiacem non a diis immitti, sed ab solis Atridis oriri; cum dea autem illius contentionem morte eius esse finitam. Atque prius istud etiam mihi probari, satis me iis puto declaravisse, quae supra de duabus huius fabulae partibus dixi. De altero autem loco, quid sentiam, ex sequenti mea disputatione cognoscetur: hic tantum id moneo, quod, cum re vera mortalis cum deo controversia nulla esse possit, poetam, si quid eiusmodi nobis proposuerit, munere suo optime esse functum, si deorum erga misellos homines eam indulgentiam monstraverit, qua ignoscere lapsis, quam, quantum possint, ulcisci eos malint.

Jam igitur, ut revertamur ad fabulam, socii Aiacis, simul ac mortuum conspiciunt, in patriam reditus sui spem omnem periisse lamentantur; 1) Tec-

1) v. 884. sqq.

messa et suam ipsius et Eurysacis, filii, servitutem iam quasi oculis videt, indignissimam 1); Teucer denique adeo omnibus nominibus se infelicem habet, ut in fratris eo interitu se periisse ipsum conclamet 2). Atque hunc virum, quem Aiax unum orbi filii tutorem ac defensorem speravit fore, reversum ab excursione in Graecorum castris contumeliis tam acerbis tantaque ira acceptum esse audimus, ut modo non trucidaretur 3). Nec vero dii, utpote non placati, preces Aiacis illas exaudiverunt, sed ipsi videntur effecisse, ut de morte eius rumor in exercitu citius divulgaretur 4). Itaque, priusquam Teucer iusta persolvere fratri possit, Menelaus et post eum, Agamemnon accurrit. Insultant Aiaci misere prostrato et virtutibus eius contumeliose obtrectant; ne vero morte sua insidiarum fugisse poenas videatur, eum sese, tumuli negato honore, canibus et volucribus proiecturos esse, praedam, minantur. In quo grave etiam illud est, quod Menelaus 5) morte demum Aiacis se fratremque id gloriatur assecutos esse, ut in eum, quaecunque velint, possint statuere. Scilicet sic deos vincimus nos, mortales,

Simulacra, quotquot vivimus et umbrae leves. 6)

Apparet ex his, quae disputavimus, neque in eo

1) v. 924.

2) v. 984 sqq.

3) v. 708. sqq. 4) v. 977 sq.

5) v. 1046 sq.

6) Ulyssis in hac fabula verba sunt v. 126.

vituperandum fuisse Sophoclem, quod Aiacem in scena fecerit pereuntem 1). Etenim, licet iure Aeschylum etiam in eo laudaverint veteres 2), quod caedes ab scena removit; non tamen utique reprehendendi sunt, qui ab eo instituto discesserunt. Imo, quid ipse Aeschylus de cruentis illis senserit spectaculis, ex Prometheo eius fabula cognoscimus; in qua hic vir crudeliter sane et ante oculos spectatorum ad saxum affigitur. Scilicet licere talia et ille putavit et nos putamus omnes, ubi ex totius fabulae ratione atque institutione sunt necessaria. Aiax autem non potuit se extra scenam interimere, quin aut ad frigidas narrationes res omnis recideret, aut verisimilitudine plane destitueretur. Sed, quid multa? intelligunt periti, Sophoclem, ex omni ratione sua, propterea Aiacem in scena fecisse pereuntem, ut viderent homines oculis suis vel ipsius herois maximi exitus tristitiam, vel sociorum et Tecmessae et Teucri desperationem, vel denique Atridarum in eum virum atrocem superbiam, quem dum vivebat, ne verbo quidem violassent impuniti.

1) Parum iuste hoc Boettigerus, vir celeberrimus, vituperat in adnot. ad Furienmaske p. 11. Nec probabilia sunt, quae, defensurus Sophoclem, Barthelemius disputavit. (Reisen d. jüng. Anach. tom. VI. 414.) Verum omnino, cum neque caedium in scena patratarum exempla desint: (veluti in Euripidis Supplicc. Euadne se in mariti rogum vivam proiicit cf. Apollodor. III. 7, 1. et eiusdem in Medea certe clamores audimus puerorum matris manu pereuntium.) alia cruenta, cum ita fabularum ferebat ratio, saepius proponebantur spectatoribus. cf. extr. Aesch. Choeph. et Soph. Trachinn. et Electr. et praecipue Oed. R. et in Eurip. Hecuba Polymestor excaecatus.

2) Philostrat. vit. Apollon. lib. VI. 6.

Gravior autem his illa est quaestio, cum post necem Aiacis fabulam producendam fuisse iam satis constet, num singula in hac parte omnia sic instituta sint, ut reprehendi nequeant.

Nemo, opinor, Chori, et Tecmessae, atque Teucri de Aiace mortuo querelas illas 1) non laudaverit; sunt enim non minus ad omnem fabulae institutionem necessariae, quam ab arte tam excellentes, ut aeque in iis et in prioribus, egregium Sophoclis ingenium summamque vim tragicam admiremur. Vituperatio igitur fabulae omnis ex ducentis et septuaginta illis versibus oritur, in quibus Teucer cum Menelao et Agamemnone de Aiace sepeliendo disceptat.

Ac similes quidem disceptationes tantum non in omnibus tragoediis graecis inveniuntur; Euripideae autem plures fere totae ex orationibus constant, quibus invicem se compellant et lacessunt personae, tam vehementer atque indigne nonnunquam, ut periti harum rerum iudices tantum idcirco in Aiace gravius reprehendisse Sophoclem videantur, quod ab eo nihil voluerunt proferri, nisi quod absolutum omnibus suis numeris probatumque omnibus aetatibus esset. Verum hoc litigandi studium in tragoediam e vita Atheniensium, hominum omnium maxime litigiosorum, irrepsit 2), eandemque et vituperationem et excusationem habet, quam in aliorum populo-

1) a v. 854. 1019.

2) Non praetereundum est in his aestimandis, quod etiam apud Homerum et hominum et deorum saepe altercationes fiunt acerbissimae.

rum tragica poesi aliis quibusdam vitiis adhibemus, simili ratione ex ingenii morumque eorum natura ortis. Exteri enim, vel etiam ii, qui ex universis quibusdam legibus tragoediam aestimant, et Anglorum licentiam notant, neque Hispanorum tumorem illum probant, imaginibus et comparationibus abundantem; Gallos autem et in amoribus nimios esse, et declamationis plus, quam actionis habere dicunt; Germanos denique facilius ad philosophandi commoditates et luxuriam quandam lyricam aberrare, parumque strenue praesentia agere iudicant. Nimirum haec placent populis, in quibus nascuntur; nec poetae in iis magis civium suorum studiis indulgent, quam sua ipsorum natura ad haec trahuntur. Quid igitur? cum in Graecis fabulis altercationes istas egere aliqua defensione dicamus, nonne concedere videamur, Teucri et Atridarum has lites merito esse accusatas? Imo necessarias eas et ex tota fabulae institutione laudandas ducimus; verum omne hoc disceptandi genus est eiusmodi, in quo unum quoddam vitium vix possit evitari, irrisionem et cavillationem dicimus, quae, ut imprimis comoediae convenit, ita, paucissimis exceptis locis, ab tragoediae dignitate iure habetur alienissima. Atque eo nomine in hac fabulae parte plura displicent, tenuia, male arguta, frigida. Nimirum humanae artis angustias etiam in his agnoscimus, et, quasi tragica affecti acerbitate, videmus unumquemque hominem, quantumvis magno ingenio quasi omnem naturam nostram atque omnes aetates amplectatur, in nonnullis cer-

te communi fragilitati et vi temporum esse subiectum.

Sed, cum hos naevos, leviores ad eam totius fabulae praestantiam, deprehendi in ea concesserim: reliquum est, ut de omni illa disceptatione nonnulla adiiciam. Atque merito Atridas omnesque Graecos iratos Aiaci fuisse patet: necem enim ille cunctis paraverat, eamque patrasset, nisi Minervae numine fuisset impeditus. Itaque in castris convenerunt duces et de poena, qua afficerent illum, ut videtur, deliberaverunt 1); sed voluntaria viri morte ultione sua frustrantur. Jam vero, si sapientes et moderati fuissent Atridae, quievissent; in mortuos enim saevitia nec deorum neque hominum legibus probatur 2); Sophocles autem aptissime ad consilium suum, tantam iis immanitatem tribuit, ut iusto honore suo privare mortuum cuperent. At vero dixerit quispiam, haec Sophocles sic ea mente instituit, ut tum Atridarum, Peloponnesiorum, iniustitia proposita, gratissimum Atheniensibus oblectamentum praeberet, tum Aiacis laudibus ornandi sibi copiam efficeret. Non equidem id negaverim; sed in hoc maxime admiror poetam, quod cum primario illo consilio suo, ut Aiacem, sese interficiendo, pessime et sibi et suis omnibus consuluisse ostenderet, haec quasi secundaria coniunxit. Etenim primum Menelaum ea facit dicentem, quibus proba-

1) v. 246. et 711. sqq. cf. 736. sqq.

2) v. 1110. 1314. 1322. sqq. Apud Homerum mortuos a canibus et volucribus laceratos saepius commemorari nemo nescit.

retur spectatoribus etiam in civitate atque exercitu intemperantiam et superbiam pestiferum malum esse et poenis gravibus omni modo coercendum. Sed, quem pluribus locis etiam Homerus significavit, angustiorem illi viro animum tribuit: quare vel intoleranter suum in illum totumque Graecorum exercitum imperium iactat, vel eo procedit insaniae, ut antea Aiacem superbiisse, nunc vero, illo mortuo, sibi licere esse superbo glorietur 1). Itaque Teucer, quod sane iucundissimum auditu erat Atheniensibus, et immoderationem Menelai reprehendit, et Aiacem, nullius subiectum imperio, sed tantum iure iurando suo obstrictum, se adiunxisse Atridis affirmat. Deinde, irrisione mutua exacerbatis animis, Menelaus, dux valde exiguae auctoritatis, abit, atque Agamemnonem fratrem aut mittit, aut, quod malim, ipse adducit 2); Atque is quoque, cum irae causam sibi iustam esse demonstret, arrogantius et acerbius loquitur; laudum vero Aiacis obtrectatione sua Teucrum excitat ad summa fratris de Graecis merita cum debita praedicatione efferenda.

Scimus esse 3), qui, cum ad hanc disceptationem unus suffecisse aut Agamemnon aut Menelaus videatur, reprehendant Sophoclem, quod utrumque induxerit; sed ab hac quoque vituperatione, si, antequam iudicium ferrent, accuratius rem explorassent, abstinuissent. Primum enim omnino tragicis quasi reli-

1) v. 1067. 2) cf. v. 1094. sq.

3) v. Laharpe Lycée. tom. II. p. 74.

gio quaedam erat, cum in antiquis narrationibus nomen aliquod constanti commemoratione coniunctum cum heroe suo invenirent, id in fabulis suis, quoniam nihil ad actionem faceret, omittere. Itaque et Aeschylus in Choephoris et Sophocles in Electra fabula cum Oreste Pyladem induxit, quanquam is apud illum tres tantum versus, apud hunc nihil loquitur. Deinde vero, in nostra fabula Aiax semper de Atridis conqueritur; nec vero, siquidem Agamemnon, summus Graecorum dux, utique inducendus erat, Menelaus praetermitti potuit, Lacedaemonius 1). Huius autem loquax ignavia etiamsi nihil efficiat, nisi ut, quanta iam mala Aiaci et amicis eius immineant, nos doceat; tamen ad exspectationem, commotionemque animorum augendam facit egregie. 2) Agamemnonis enim, Teucri in Menelaum contemtu exacerbatissimi, adventu in extremum res discrimen adducitur. Jam enim, dum Aiax misere iacet, chorus de salute sua metuit, Tecmessa et Eurysaces

1) Euripides etiam in hac artis suae parte tantum multitudinis studiis dedit, ut in Oreste fabula, praeter necessitatem, Menelaum turpissimum hominem faceret, quod iure Aristoteles vituperat. poet. XV. 7. et XXVI. 31. cf. Eurip. Herc. furens. et Plutarch. Thes. c. 26. 28. sq. 35.

2) Mirum est, quod severi illi huius fabulae censores non id notaverint, quod Teucer post Menelai abitum non statim, sicuti in fine fabulae, cum sociis suis Aiacem aufert, sed, relicto cadavere, ipse, defensor eius gravissimus, decedit sepulcrum curaturus, quod committere aliis posset. Parum hoc, si rerum naturam spectes, probabile est; sed tum id levius est, tum omnino in veterum non minus, quam in recentiorum fabulis plura sunt eiusmodi, in quibus illorum memineris Popii (Essay on criticism. v. 253.)

whoever thinks a faultless piece to see,
Thinks what n'er was, nor is, nor e'er shall be.

trepidantes cadaveri inhaerent: inter Teucrum et Agamemnonem tanta irae exoritur vehementia, ut verbis se non contineant; sed arma capiant, atque ante oculos caedes sit et Aiacis filii et fratris et Tecmessae et sociorum omnium interitus pene certus. In quo, si Sophocles, iam plenissime assecutus id, quod voluit, componendae litis partes aut Minervae aut alii deo tribuisset, non certe magis vituperandus fuisset Euripide, qui plerumque diis sic abutitur. Sed ille, cum omnino non fere diis tribuat, quae fieri per homines possint, rem ita instituit, ut hoc potissimum loco nostra, quam de huius fabulae dispositione proposuimus, sententia comprobetur. Nam, postquam eo res pervenit, ut, nisi ab deo aliquo, salus sperari nulla posse videretur: ecce idem, quem in exordio fabulae propter temperantiam suam Minervae vidimus probatissimum, Ulysses advenit, tantum etiam in hominibus pollens gratia et auctoritate, ut eum Agamemnon litis quasi arbitrum faciat. Neque eo honore ille se non dignum exhibet. Sapienter enim et Atridas et Graecos inimicitiarum atque odii certos, quos egredi nefas sit, fines esse docet; de Aiace vero tam aeque sentit, ut eum, licet maxime ipsi infensus fuerit, Graecorum, praeter Achillem, omnium iudicet fuisse fortissimum. Nec tamen ei ita facile cedit Agamemnon, ulciscendi Aiacis cupidissimus et in eum virum indulgentiam apud homines dedecori sibi fore ratus; tandem vero vincitur admirabili Ulyssis humanitate et prudentia, eique sese et

Aiacis sepulturam et alia etiam maiora dicit facile condonare. Quae quidem, ut ab arte praeclara sunt, ita in spectatorum animis non poterant non vim habere saluberrimam. Etenim, cum in Aiacis calamitatibus, non sine horrore quodam, vel deorum vel hominum iram cognovissent, sane formidabilem: ex Ulyssis felicitate illa gratam consolationem, quasi respirantes ab diuturno metu, percipiebant. Atque hic vir, probus deorum voluntatis interpres, sua moderatione Athenienses etiam Minervam, severam deam, nolle odia in mortuos extendi docuit; humanitatis autem egregium exemplum etiam eo edit, quod, quantum antea odisset Aiacem, tantum se nunc una cum Teucro mortuum culturum esse declarat: quanquam hic vir, acerbum fratris reveritus animum, id non omnino ei se concedere posse existimat; sed, maxime voluntate eius laudata, eum rogat, ut ab ipso sepulcro quidem abstineat, ad exsequias autem Aiacis, etiam cum aliis, quicunque voluerint, amicis, accedat cohonestandas.

ELECTRA.

Quas in hac tragoedia Sophocles exposuit, poenas, per Orestem, Apollinis iussu, ab Clytaemnestra, matre et Aegistho, patris interfectoribus, sumtas, easdem et Aeschylus in Choephoris et Euripides in Electra sua tractavit, raraque felicitate contigit nobis, ut hae quoque fabulae ad nos pervenerint, atque in comparationem haud iniucundam adhiberi cum Sophoclis Electra possint. Quod cum breviter quidem, sed praeclare factum sit a Schlegelio 1): nos de illis fabulis hic tantum pauca quaedam apponimus, ex omni instituti nostri ratione necessaria.

Atque Aeschylus quidem, ut in omnibus suis fabulis, una, Prometheo, excepta, magis rerum ipsarum vim tragicam exponit, quam personarum mores et ingenium depingit: ita etiam Choephorarum summam in ipsis Clytaemnestrae et Aegisthi poenis posuit, per Orestem exactis. Quare tantum abest, ut Electrae primas partes dederit, ut prope graviores chorus habeat. Neque, praeter eam alia Agamemnonis inducta filia, ex morum differentia ornamentum aliquod fabulae quaesivit, sed, pro simplicitate sua, rem omnem ad Orestem et Electram retulit. Orestes autem, nulla usus arte, simul atque agnovit sororem,

1) In l. l. tom. I. p. 221. sqq. Nec tamen mihi quidem probabile est, quod plerique sumunt, Sophoclis Electram ante Euripideam esse editam.

se fratrem eius atque ultorem patris adesse ei aperit. Post quae, cum egregia et laetitiae et amoris significatione exceptus ab illa, Apollinem, gravibus adiunctis minis, sibi poenas a patris interfectoribus sumendas imperasse refert, animi tum natura sua plenus, tum somnio quodam matris, terribili, magis etiam confirmatus. Postea, de obitu suo ficta narratione Clytaemnestra falsa, Aegisthum, quamvis suspiciosum, arcessitum ex agris, facile interficit; matrem vero aggressus, ferocis audaciae et constantiae etiam in hac fabula mulierem, haesitat initio; sed a Pylade, qui praeterea nihil loquitur, graviter Apollinis iussa monitus, eam intrare domum iubet, ut iuxta Aegisthum mortem oppetat. In quibus, cum ubique Aeschylus severam deorum iustitiam commonstret: Orestes tantum iis tribuit, ut ne in extrema quidem fabula, ubi iam Furias conspicit, in se irruentes, auxilium Apollinis et facinoris tristis expiationem desperet.

Ab sublimi Aeschyli simplicitate ad Euripidem descendimus, qui, temere novitatis et verisimilitudinis ridiculae cuiusdam cupidus, Electram suam tragico splendore omni ita spoliavit, ut humilius ea ingredi comoedia nequeat. Et huius viri exemplo quam maxime docemur, quam male cum iis actum sit tragicis, qui, cum ingenio et arte quantumvis excellant, vera animi dignitate sunt destituti. Nec tamen mihi in animo est Euripidis, cuius tot alias fabulas merito omnes admiremur, in hac, omnium, quas scripsit, pessima, longa expositione vitia percensere. Unum id sufficiat monuisse, quod Euripides

in ea homines pene omnes non solum tales fecit, quales sunt, verum peiores. Ineptissime autem Dioscuri, quippe qui antea ipsum Apollinem, deum, male et iniuste Orestem excitasse ad illud facinus docuerint, in clausula homines ad iustitiam exhortantur.

In Sophoclis Electrae praestantia efferenda non est, quod multus sim, cum singulari omnium et antiquae et recentioris aetatis iudiciorum consensu declarata sit praeclarissima. Neque defuerunt, qui vel de universa institutione, vel de singulis partibus eius disputarent, viri egregii 1): ut actum acta agere existimarer, si denuo ad haec meam adhiberem industriam. Sed, quandoquidem in excellentibus illis humani ingenii monumentis considerandis atque examinandis nunquam nostra satiatur admiratio: ego hanc mihi novam, neque eam inutilem, ingrediendam esse rationem putabam, ut recentioris artis exemplum aliquod cum antiquo illo compararem. In quo, cum invenirem plures, qui certamen cum Sophocle voluisse viderentur: mittendos et alios et Crebillonum censui, temerarium magni adversarii obtrectatorem, imitatorem insipidum: unum, qui ad eius contentionis honorem admitteretur, dignum, Voltarium habui, ab ingenii et tragicae artis laude Sophocli fere parem, in Oreste autem fabula sua eius, quod ipse profitetur, aemulum. Nec vero ad nostrum institu-

1) Praeter Brumoeum, Jacobsium, Laharpium, alios, excellenter de Sophoclis Electra disseruit Molardus: Dissertation sur les principales tragédies anciennes et modernes, qui ont paru sur le sujet d'Electre et en particulier sur celle de Sophocle. Quae dissertatio addita est Voltarii Oresti fabulae in ed. Basil. 1784.

tum de utriusque poetae dicendi genere quaestio attinet, quod in utroque aequalibus et civibus visum est perfectissimum; sed haec omnis in eo versabitur disputatio, ut exponamus, quomodo eandem fabulam Sophocles Graecis, Voltarius Gallis proposuerit; ut utriusque fabulae cum omnem institutionem tum singularum partium rationem exploremus; ut personarum, propositarum in utraque, mores et naturam examinemus 1). Grave autem in hoc id est, memoratum iam supra, quod Sophocles tales se in suis fabulis fecisse homines dicebat, quales esse eos oporteret; voluit, opinor, tales qui, licet non inveniantur in rerum natura, at mente tamen fingi et cogitari possint, in genere suo perfecti. Sed poterat etiam iure suo praedicare, se ita semper suas adornasse personas, ut ad consilium, quo essent inducti, apte et convenienter et dicerent omnia et agerent. Quae lex ita est ad ipsam naturam accommodata, ut nostris temporibus eam poetae ne commemorent quidem; spectatores autem fere benigne sumant, eam ab iis ubique esse observatam. Nec sane Voltarius eam non maxime probavit, si recte ad haec id referimus, quod, severi censoris susceptis partibus, Sophoclem in Electra sua saepius aberrasse ad declamationes scripsit 2); declamationes enim ipsas eas

1) Laharpius de his fabulis haec habet: „Quelque belle que soit l'Electre de Sophocle, celle de Voltaire l'emporte de beaucoup, au jugement des plus séveres connaisseurs. In quo iudicio cui non in memoriam Rousseauii illa redeant de Sophoclis et Voltarii Oedipo: „Le Français de vingt-quatre ans l'a emporté sur le Grec de quatre-vingts."

2) épitre à Madame la Duchesse du Maine p. 17. „Je suis persuadé,

dici orationes putamus, quae sive ab persona sive ab loco eo, in quo habentur, alienae sunt. Sed de hac vituperatione et de alia, qua Sophoclem ille interdum in repetitiones incidisse indicavit, postea videbimus; hic tantum id referre licebit, quod Voltarium, nonnunquam certe non iniquum iudicem, adeo Electrae Sophoclis fuisse studiosum accipimus, ut, cum ipsius Orestes fabula primum ederetur et summo cum applausu ab Parisiensibus exciperentur plura, ex graecis expressa: in extremum ille suum progressus podium, macte! exclamaret, Athenienses a haec Sophoclea sunt! 1)

Atque initium comparandarum fabularum, Paedagogi apud Sophoclem praeceptum secuti, ab diis facimus, quos sane difficile erat, cum Orestem non Aegisthum solum, sed etiam matrem occidere iussissent, sic proponere, ut ne spectatoribus crudeliores viderentur. Sapienter igitur Sophocles, improbata Euripidis illa temeritate, sicuti Aeschylus, de hac fabulae parte sic egit, ut aliter non potuisse fieri spectatoribus persuaderet. Ea enim scelera si inulta manerent, impuneque nefarii homines bonis fruerentur male partis, omnem in nobis pudorem atque virtutem esse interituram. Quod cum aliis in locis saepius, perquam apte, ut mihi videtur, repeti-

Madame, que les bons esprits d'Athènes condamnèrent, comme vous, quelques répétitions, quelques déclamations, dont Sophocle avait chargé son Electre: ils dûrent remarquer, qu'il ne fouillait pas assez dans le coeur humain."

1) Avertissiment des Editeurs. p. 4.

tur 1), tum vero, iam ingressis domum ad puniendam Clytaemnestram ultoribus, Electrae illis precibus exprimitur 2):

Nunc, o Lycee Apollo, postulo, peto,
Tibi supplico, coepti huius ut sis benevolus
Adiutor, ostendas, quibus Dii praemiis
Flagitia consuevere honorare impia!

Voltarii quam in diis inducendis ab Sophoclea diversa ratio fuerit, manifestum est. Non enim ipsius popularium illi dii erant, sed veterum e fabulis petiti: ut in hac tragoediae suae parte saltem eadem, quam graecus poeta adhibuisset, uti libertate posset. Sed ille, puto, quo mitiores deos exhiberet, in eo ab Graecorum recessit fabulis, quod deos Oresti non Clytaemnestrae, matris, sed tantummodo Aegisthi imperavisse caedem finxit 3). Egregium eiusdem, in re simillima, institutionis exemplum in Shakespearii Hamleto habemus, ubi, regis, fratris et uxoris interfecti insidiis, spectrum illud filium ad istum quidem ulciscendum excitat, matris autem poenas ut deo committat, graviter exhortatur 4). Admirabiliter hoc quoque fecit Titan ille tragicus! Sed vide tamen,

1) v. 237. sqq.. 473. sqq. 813. sqq. 1055. sqq. 2) 1371. sqq.

3) Act. II. Sc. 1. Pylade:

Marchons sous la faveur de ce dieu tutélaire,
Qui t'a livré le fils, qui t'a promis le père.

et Act. III. Sc. 7. Oreste:

Le meurtre de mon père, et mes soeurs à venger,
Un barbare à punir, la reine à menager cet.

4) But, howsoever thou pursu'st this act,
Taint not thy mind, nor let thy soul contrive
Against thy mother aught; leave her to heaven cet. Act. I. Sc. 5.

annorum alia eius atque Voltarii fuerit conditio. Scilicet Shakespearius e recentiorum rebus suam expressit fabulam et ad cothurnum confinxit primus; Voltarius suam accepit conformatam a veteribus, qui recte, opinor, omnes Clytaemnestram etiam peius egisse Aegistho, nec leviore afficiendam esse poena censuissent. 1) Quare acerbiorem quidem Voltarius, sed iustiorem fecisset deorum voluntatem, si ab illis exemplis suis non decessisset; excusationem vero eius acerbitatis facile ipsa artis suae praestantia esset assecutus, moribus nimirum et ingenio Clytaemnestrae aliter atque nunc sunt, conformatis. Verum haec anceps est atque invidiae plena quaestio, num quid perfectius institui a magno aliquo artifice potuerit: quare iam recedimus ab iis, quae Voltarius potuisset facere, et ad ea nos convertimus inquirenda, quae fecit ille in deorum suorum partibus instruendis. Atque, cum apud Sophoclem dii simpliciter Orestem dolo ulcisci parricidas iusserint, apud Voltarium vetuerunt illum Electrae, sorori, quis esset, aperire. Apte id per se quidem, in mirabili ista, quam Voltarius finxit, virginis intemperantia; sed Orestes, quod poterat praevideri, naturae atque insiti amoris victus vehementia, vetitum illud negligit atque Electrae se eius fratrem esse declarat. Num quid, in hoc scelesti erat? num quid eiusmodi, quod, non dicam, severo supplicio, sed, quod poena esset alia afficiendum, nisi ea, quae ex malis oriretur, Elec-

1) cf. Aristot. poet. XIV. 10.

trae imprudentia conflatis? Ne ipse quidem Voltarius id voluit, sed verissima defensione ab crimine omni Orestem liberavit 1). Sed quomodo, quaeso, si hoc bene fecit, defendi ipse poterit, qui propter leve sane vitium tam infensos illi deos fecerit, ut in summa eum mala, et salutis suae desperationem compellerent miserrimam? Non enim satis iis grave videbatur, quod Orestes in capitis periculum incidit, sororis precibus, quibus flectere Aegisthum cupiebat, auctum; sed furiis eum commiserunt: ut, turbata mente, eodem, quo, istum petiit, ictu, matrem occideret. Quid ergo volunt illae deorum laudes, in hac fabula frequentissimae et pulcherrimae? Nonne suspectae nobis fiant hunc rerum exitum considerantibus: ut prope, cum Orestem audimus, ab initio usque ad finem fabulae, iniustam diis crudelitatem exprobrantem, veram nobis ipsius auctoris cognoscere mentem videamur; Pammenis autem et Pyladis splendida illa deorum praeconia, pro inanibus verbis poeticisque fabulae ornamentis habeamus? Sed mirum etiam id est, quod Voltarius, qui, scilicet ad cultiorem humanitatem suum conformaturus poema, Clytaemnestram deorum iussu interfici ab filio nollet, Furias admisit cruentas, quas sapientius Sophocles, Graecus! ex sua Electra relegavit. Is enim in fabula, in qua non esset Orestis absolutionem expositurus; agitatum a furiis inducere, ineptae atrocitatis duxit. Quare, matre interemta, cohorrescit quidem

1) Act. IV. Sc. 5. et 6.

Orestes ac dubio aliquô turbatur 1); sed, adveniente Aegistho, ab cogitationum tristitia statim ad aliud agitur facinus, fabulaque sic exit, ut, quod voluit poeta, sceleratorum hominum audaciam spectatores punitam viderent, de Oreste autem, utpote quem scirent ipsis Athenis, adiuvante Minerva, postea absolutum esse, non essent nimium solliciti. In qua rei institutione si non possumus non laudare Sophoclem: Voltarium non video, qui negemus egisse inhumanius. In eius enim fabulae exitu, propter levissimum errorem, dii isti morosi Orestem, ceteroquin bonum hominem, non modo ad matris suae caedem compellunt; sed simul privant eum omnibus, quibus, cum dolore summo, caruit tam diu, sororibus carissimis, imperio, patria; cumque sceleris illius, quod commisit invitus, conscientia ille gravissime agitatur, in sua ipsorum ope et benevolentia spem ei nullam relinquunt. Quamobrem, quo magis desperantis Orestis sermones illi ab dicendi arte splendent: eo minus probandum poetam puto, qui fabulam ita instituerit, ut nequeamus negare has deorum accusationes esse iustas. Cui crimini eo cumulus accedit, quod etiam Pylades, qui antea semper deos summopere laudavit, in extremis fabulae versibus eos furere in homines concedit.

Praemissa hac de diis disputatione, ad utriusque fabulae institutionem progredimur explorandam.

1) v. 1418.

Ac Sophocles quidem, cum pro humanitate sua facinoris illius atrocitatem, quantum maxime posset, mitigare arte studeret: primas non Oresti, ultori sceleris, sed Electrae dedit, praecipuamque fabulae partem ad eius potissimum pietatem, constantiam, animi fortitudinem retulit. Itaque in exordio Orestes, Pylades, Paedagogus procedunt in scenam, sive, ut ille saltem e longinquo, antequam adeat facinus, patriam domum conspiciat, sive, ut iam spectatorum ante oculos rei agendae partes inter se distribuant; sed ante omnia, quia sic Apollo praeceperit, Paedagogus Oresti suadet, ut inferiis patris tumulum honoret; quare eo omnes abeunt. Progreditur ex palatio, quod in Aegisthi absentia licet, Electra, primumque sola, deinde in sermonibus cum choro, tristes suos animi sensus exprimit. Allatis autem per Chrysothemin inferiis, quas, territa somnio, Clytaemnestra Agamemnoni iussit effundi, Electra novam ex sororis narratione spem salutis percipit, ab eaque, abiectis in arenam inferiis istis nefandis, ut gratius patri donum, filiarum cincinnos atque cingulum suum ferat, impetrat. Sic igitur apte Chrysothemis vel a matre vel ab sorore ad patris tumulum demittitur, in quo fratris inferias erat inventura, modo effusas. Sed iam egressa domo Clytaemnestra in disceptationem cum Electra incidit, qua egregie utriusque mores et sentiendi ratio depinguntur; postea vero quam Clytaemnestra, ad quod venit, Apollinem, ut malum istud omen averteret, oravit: accedit Paedagogus, fictaque narratione, sicut iussit deus, reginam falsurus, summo

dolore etiam Electram afficit, casu praesentem. Haec omnia tam simplicia tamque vera sunt, ut ex ipsa natura expressa esse videantur; quod autem Aristoteles de Pythiis ludis narrationem illam graviter reprehendit, ut ineptam: in eo egerit festinantius 1). Nam, quod scholiastes monet, Orestis temporibus hos nondum exstitisse ludos, id non puto voluisse Aristotelem: siquidem valde dubito, quin de vera horum ludorum origine ipsi constiterit. Ab eo vero crimine, quod facillime in ea horum ludorum celebritate fraudem factam detexissent, optime Sophoclem Molardus defendit in dissertatione supra laudata 2). Accedit, quod Paedagogus et tam accurate res vel levissimas enarravit, et horrore tanto audientes commovit, ut de veritate casus dubium iis tam celeriter oriri non posset. Sed Paedagogus primum sine Oreste et Pylade advenit, re vera, ut, qualis rerum status esset, exploraret: specie autem, ne ad nuntii acerbitatem statim urnae aspectus adderetur, tristior. Atque eo quidem ab Clytaemnestra inducto in palatium, laetabunda Chrysothemis accurrit, siquidem in patris tumulo se fratris cognovisse dona putat, sororemque excitare ad bene de futuro sperandum conatur. Quod tantum abest, ut efficiat, ut ipsa, nuntio illo tristi audito, a spe sua deiiciatur; nec tamen Electra commovere eam potest, ut iam secum ipsa a parricidis poenas exi-

1) poet. XXV. 8.

2) p. 123. „Cette objection tombe d'elle-même, pour peu que l'on fasse réflexion que l'action est si pressée que Clytemnestre et Egisthe sont tués avant qu'ils aient le temps d'être détrompés."

gat; sed frustra precibus argumentisque tentata Chrysothemis sororem deserit domumque abit. Atque ita afflictae virgini iam in urna cineres Orestis, ut fingebant, ipse Orestes cum Pylade amico affert; unde Electrae, fratris sui sicuti patris amantissimae, tanti oriuntur luctus, ut Orestes, quippe oraculo nullo impeditus, et fraudem et veritatem ei omnem aperiat. Jam igitur ex moerore summo non minus gaudium, utrumque admirabiliter a poeta expressum; sed Paedagogus, qui in palatio haec vidit omnia et, ne quis nimium securis supervaderet, prudenter custodivit, agendi tempus esse et in domo res bene habere monet. Itaque Orestes et Pylades, adoratis diis patriis, intrant domum, brevique post, Clytaemnestrae patrata caede, redeunt. Quod vero in hac fabula Aegisthus post Clytaemnestram interficitur, id ob eam ipsam causam excogitavit Sophocles, quam supra memoravimus, ut facinus minus atrocitatis haberet. Mirari hanc moderationem recentiores poetae solent, qui terroris et commotionis plurimum fere in extremis fabulis cumulant; veteres autem, ut diximus, in hoc aliam sequebantur rationem, quippe qui, cum commovere quidem cives suos timore et miseratione vellent, simul eos erigere studerent atque, virtutis vitiorumque gravibus propositis exemplis, ipsos moderare. Laudandus igitur etiam in hoc instituto suo Sophocles, et sane quam praeclarum illud est, quod rure accitus Aegisthus, homo arrogans, cum Orestem se conspecturum esse mortuum credit, inopinato Clytaemnestrae occisae aspectu percellitur. Nec fuga ul-

la, nec spes, nec dicendi copia datur, verum instat ultor acerbus, et parricida in palatium propellitur, ut, ubi malo dolo Agamemnonem occiderit, ibi turpiter ipse pereat.

Et de actione, in qua natura sua, quod vel ipsum nomen eius declarat, omne drama vertitur, multa et ab aliis sunt disputata et disputari a nobis possint. Sed in exiguis his, quos scriptioni nostrae constituimus, finibus, id sufficiet monuisse, quod actionis vis latissime patet, eoque nomine tum ea vocatur, quae ad oculos potissimum refertur, rerum implicatione, artibus, periculis commotissima, tum ea, quae ad cogitationem magis pertinet, quae animis varie affectis, spe et laetitia exsultantibus, tristitia et desperatione profligatis continetur. Multitudinem sine dubio magis illud genus, quam hoc delectat, pluresque ex illo habemus fabulas, quas vel Romani, unice gladiatoriorum ludorum capti atrocitate, cum iucundo quodam horrore fuissent spectaturi. Alterum vero genus propterea parum convenit vulgo, quod politiores sensus atque humanitatem magis eruditam postulat. Quae cum ita sint, quis non maxime admiretur Athenienses, qui non magis Aeschyli Prometheo, Sophoclis Oedipo Rege, Euripidis spectaculis, praecipue ad sensuum oculorumque delinimentum factis, quam Electrae hac simplicitate oblectarentur, in qua, cum praeviderent omnia prospere esse exitura, cum scirent vivere Orestem et adesse ultorem, tamen tanto cum studio varias Electrae animi commotiones sequerentur, cum ea ut timerent, ut

lugerent, ut tremerent, denique ut hanc fabulam omnium Sophoclearum haberent praestantissimam 1).

Aliter de his iudicavit Laharpius 2), qui in Sophoclis fabula imprimis id reprehendit, quod neque Orestes unquam in periculo sit, neque Electrae tristitia illa satis varietatis habeat; quare in hoc potissimum Voltarii tragoediam multo illa statuit esse perfectiorem. At vero, ut alia taceam, Sophocles, opinor, satis grave id habebat, quod Orestes matrem deberet occidere, neque tam huius, quam Electrae praecipuum excitare studium volebat; quod apud Voltarium videmus aliter esse institutum. Is enim primas Oresti dedit, neque eum ad matris, sed ad solius Aegisthi caedem missum a diis fecit. Quod quidem, ut natura sua non admodum tragicum erat, ita carere artibus et implicatione varia nequibat. Sed Voltarii fabulae institutionem postea, cum de personarum eius moribus dicemus, breviter percensebimus; hic tantum id quaerimus ex peritis harum rerum existimatoribus, annon praeter omnem et verisimilitudinem et necessitatem Orestes matrem interfecerit? Quid enim? cum Aegisthus a satellitibus suis non modo desertus esset, sed a sola Clytaemnestra vix ab impetu eorum et furore defenderetur 3): cur non divelli ab eo ac deduci matrem

1) In Dioscoridis illo in Sophoclis tumulum epigrammate haec legimus: *Sive Antigonem nominaveris, sive Electram, non erraveris; utraque enim Sophocleae artis fastigium.*

2) Lycée. tom. II. p. 126. sq.

3) Act. V. Sc. 7. Pylade.

Des fers que nous portions il est chargé lui-même.

iussit Orestes? At a furiis agitabatur, nec mentis suae compos erat? Imo ad populum tranquille verba fecit et matri pepercit 1), et Aegisthus iam constrictus vinculis erat! Sed omnis ille Voltarii Orestes mirum caput est; sed Pyladem Voltarius prudentissimum fecit, isque noverat amicum et praevidebat pericula ab ira deorum, quos neglexisset ille, imminentia; Cur igitur hic non removit Clytaemnestram? aut cur saltem non mansit apud Orestem? cur in summo rerum discrimine ita aberravit a circumspecta illa prudentia sua, ut intempestive puellis, quid iam actum esset, enarrare mallet, quam mala atrocissima, quae metueret ipse 2), impedire? Sed, quasi omnes Orestis amici voluissent eum in crimen gravissimum incidere, etiam Pammenes sacerdos, in tota fabula homo sapientissimus, subito tam incredibili narrandi corripitur cupidine, ut, deserto Oreste, ad puellas accurrat; ac, ne quid reliquum inepti fiat, ipse refert, furias a nonnullis conspectas esse circumvolantes illum matrisque ad caedem miserum instigantes! 3) At vero omnes in fine fabulae

La seule Clytemnestre accompagne ses pas,
Le protège, l'arrache aux fureurs des soldats.

1) Oreste parle au peuple, il respecte sa mère.

2) Act. IV. Sc. 6. Pylades, postquam Orestem id, quod graviter verueránt dii, omnia aperuisse sorori audivit, praeclara haec dicit:

Je voulais le sauver: qu'il vive, et qu'il vous venge.

3) Act. V. Sc. 8.

On dit que dans ce trouble on voit les Euménides
Sourdes à la prière et de meurtres avides,
Ministres des arrêts prononcés par le sort,
Marcher autour d'Oreste, en appellant la mort,

mirabili modo oecaecabantur a deabus istis fatalibus. Lepidam defensionem, neque ipsi Voltario, puto, admodum probatam! Nimirum tanto ei constitit actionis suae implicita illa atque artis plena varietas, qua nimiam istam videlicet Sophocleae institutionis superare simplicitatem voluit.

In personarum autem, in utraque fabula propositarum ingenio et moribus examinandis gravissimum id habemus, quod in Voltarii fabula, id quod ipsa eius inscriptio docet, Orestes, apud Sophoclem Electra primas habet. Facile intelligitur, cur in hoc Gallicus poeta ab exemplo suo discesserit. Nimirum civibus suis parum probatum iri eam simplicitatem putavit, quae maximam partem tragoediae ad Electrae mores variosque animi motus revocaret exprimendos; Orestem autem, ut qui in hac fabula ab omnibus vel desideraretur maxime vel timeretur, ad actionis concitationem habuit aptiorem. Nec vero eum ad Sophoclei Orestis similitudinem conformavit; sed consilio ab eo finxit diversissimum. Sophocles enim, quod egregie in sua de hac fabula disputatione Schlegelius monstravit, suum Orestem iuvenem fecit, alacri, quae propria ei aetati esse solet, hilaritate praeditum, 1) paedagogi, senis, sapientibus consiliis verecunde obtemperantem 2), Apollinis iussis sine dubitatione parentem 3), denique spei animique plenum;

1) v. 59. sqq. 2) v. 31. 80. sqq. 1322 sqq. 1340.

3) v. 65. 69. sqq. 1368. sqq.

pru-

prudentissimum tamen, ut in eo discrimine, et maxime circumspectum 1). Quod autem, in amore erga parentes, omnibus insito, tam facile ille ad matrem accedit occidendam, eius rei plures in hac fabula inveniri excusationes puto. Primum enim, pene infans eiectus e domo, Orestes sibi quoque, nisi ab Electra esset conservatus, ab Aegistho et matre mortem paratam fuisse scivit 2); deinde apte Sophocles rem sic instituit, ut matrem Orestes tantum in domo conspiceret, non sine magna animi commotione, quam versus ille 3) significat, in quo, peracta caede, primum, an recte id facinus Apollo iusserit, dubitat. Denique iussit hoc Apollo; Orestes autem in tota fabula tantam erga deos significat reverentiam et pietatem, ut etiam a matre, quam ipse non posset non accusare, sine dubitatione putaret iussas poenas sibi esse exigendas. Sororis autem eum Sophocles sic fecit amantem, uti naturae erat aptissimum. Etenim, ubi primum eius sibi audire videtur lamentationem, commovetur quidem et vult manere; sed, monitus ab sene, abit ad inferias patri, sicut iussum ab deo erat, effundendas. Postea vero, cum, in urna ista allata, Electrae et dolorem acerbissimum et erga se amorem maximum cognovit, tam vehementer conturbatur, vix ut se teneat; sed tamen vincit animum, nec nisi doctus ab sorore mulieres, quae adstarent, amicas

1) cf. v. 1235 et omnia, quae sequuntur.

2) v. 289. sqq. et 1127. sqq.

3) v. 1421.

esse, fraudem ei se fecisse, ipsumque se Orestem esse declarat.

Equidem talem Orestem, qui maxime Atheniensibus placuit, etiam nostro tempore dixerim placere posse cultioris ingenii spectatoribus; sed Voltarius tamen Parisiensibus alium fingendum esse censuit. Eius enim Orestes, inde ab primis, quos pronuntiat, versibus usque ad extremos, se infelicem hominem esse queritur; nec fere in ipsa fabula quicquam facit, quod non infeliciter factum esse omnes concedant. Ac nescio, an etiam aliis, certe mihi hic Orestes interdum tristitia sua Hamletum imitari illum Shakespearii videtur, quanquam ne id quidem feliciter. Hic enim in admirabili illa fabula, ipsis dissidiis suis inexplicabilibus, vitae omnis humanae simillima, tristitiae causas sane multas et graves habuit. Viderat enim et patrem suum, regem praeclarissimum, et matris erga eum amorem simulatum; tunc vero, pessime necato illo, parricida nefarius se in solio iactabat, mater turpiter ei nupserat; ipse vero tum his nuptiis dignitatis regiae spei magna parte destitutus erat, tum amore flagrabat Opheliae, quae, quamvis casta bonaque, eiusdem tamen sexus erat, cuius, in acerbo ipsius matris suae exemplo, fragilitatem et inconstantiam modo cognovisset. Quibus omnibus graviter affectus a patris carissimi spectro ad puniendum parricidam excitatur, homo, quod ipse innumeris locis declarat, non ad agendum factus, cogitationum suarum tristitia obrutus, consilii constantia et strenuitate destitutus. Laudandae praeclarae hu-

ius institutionis hic non locus est; mentionem tamen Hamleti fabulae vel propterea mihi faciendam esse putavi, quod ipse Voltarius eam simillimam suae esse observavit 1). Jam igitur de eius Oreste videamus. Atque ei quidem, sicuti Hamleto, non de matre, sed de patris interfectore tantum sumenda ultio erat. Dii autem, modo ne sororem consiliorum suorum participem faceret, omnia bene processura esse promiserant. Nihil in hoc equidem mali aut admodnm duri video. Nam, licet Electrae, quam quindecim per annos non vidisset, summo traheretur amore: tamen, a Pammene sapienti vehementiam eius doctus incredibilem, intelligere debebat bene illud monuisse deos, seque, brevi adhibita moderatione, certissime, quaecunque exoptaret maxime, esse consecuturum. Nec vero, egregie ab aliis adiutus amicis 2), auxilii quicquam ab sorore sperabat, neque clare, si deorum neglexisset praecepta, tam graves, quales postea ab eo sumuntur, se daturum esse poenas, praevidebat. Itaque, etiamsi molestius ferret, quod non statim omnia Electrae posset enarrare: certe non erat, quod deos, quorum adhuc nihil nisi benevolentiam et sapientiam cogno-

1) Collection complette des Oeuvres de Mr. de .... tom. V. p. 202

2) Pylades bis Orestem, quam intempestive consolari sororem cupiat, commonet:
Act. III. Sc. 3. Pylade:

Cher Oreste! Crois-moi, des femmes et des pleurs
Du sang d'Agamemnon sont de faibles vengeurs.

et Act. IV. Sc. 1. Quae eiusmodi sunt, ut prope ipse Voltarius cavillatus esse Orestis sui ineptum istud desiderium videatur.

visset, tam graviter accusaret, quasi tyrannos immites, qui morositate sua praeter necessitatem homines affligerent ac turbarent 1). Nec vero hoc fecit, postquam in conspectum sororis venit; verum antea, imo, ut primum eius nomen audit, statim, contemtis diis, se properare ad eam clamat 2). Haec, ut mihi videtur, nec verisimilia sunt neque apta naturae. At vero morae et iussorum omnium impatiens Orestes erat, et diuturna infelicitate sua etiam magis exacerbatus. Videamus igitur, quaenam illa fuerit tanta eius infelicitas. Atque caedes quidem patris ante oculos eius facta erat; sed Electra tunc adeo puerilem eius mentem fuisse memorat, ut, quale fieret facinus, plane non intelligeret 3). Insequentem vero et matris indignitatem et Aegisthi tyrannidem non viderat; neque de illa quidem, quod mirum est, ullam unquam mentionem facit; sed in hunc tantummodo odium suum ubique declarat. Erat tamen, quod gravissime animum eius conturbare posset, nimirum si praesentiebat quodammodo, quantum facinus esset infelici manu sua patraturus 4). Idque Volta-

1) Act. III. Sc. 2. Oreste:

Pourquoi nous imposer, par dès lois inhumaines,
Et des devoirs nouveaux, et de nouvelles peines?
Les mortels malheureux n'en ont-ils pas assez?
Sous des fardeaux sans nombre ils vivent terrassés.
A quel prix, dieux puissans, avons-nous reçu l'être?
N'importe, est-ce à l'esclave à condamner son maître?

2) Act. II. Sc. 2. 3) Act. I. Sc. 2.

4) Ne severius agere videamur, non urgemus id, quod ipse Voltarius Orestem in hac fabula admodum iuvenem facit, (Act. I. Sc. 1. Pammène) quae aetas ab ea tristitia, natura sua, est remotior.

rius duobus in locis 1) significasse videtur; sed levius hoc fecit, utque Orestis animum tantummodo ad deorum crudelitatem direxit reprehendendam, ita angores eius omnes potius ex praesenti ortos periculo, re vera haud ita magno, quam ex alia profectos cogitatione indicavit. Non bene, ut videtur: ignavum enim, incertum, dubium, denique eum fecit, quem miseremur quidem; nec vero sive admiremur sive studio aliquo persequamur eximio. Etenim primum neque arma et socios contra tyrannum ipse, sed omnia Pylades 2) comparaverat; quod, quo minus sic intelligeremus, quasi facilius hic id potuisset, opibus et potestate pollens regia, ipse Voltarius prohibuit, qui non tantum potuisse eum finxerit, ut in domo sive in patria sua ab Aegisthi insidiis amicum tueretur 3). Deinde vero Orestes, naufragus, quod iam auxilio et spe omni destitutus sit, gravi-

1) Act. III. Sc. 1. Pylade:

Quoi, verrai-je toujours ta grande ame *égarée*
Souffrir tous les tourmens des descendans d'Atrée?

et Act. IV. Sc. 5. Oreste:

O ma patrie! o terre à tous les miens fatale!
Redoutable berceau des enfans de Tantale, . . .
L'horreur qui règne ici m'environne et m'accable.
De quoi suis-je puni? de quoi suis-je coupable?
Au sort de mes aïeux ne pourrai-j'échapper?

2) Act. II. Sc. 1. init.

3) Act. I. Sc. 5. Egisthe:

Errant et poursuivi de rivage en rivage,
Il promène en tremblant son impuissante rage;
Aux forêts d.Epidaure il s'est enfin caché.

ter lamentatur 1). Nec sane fortitudinem illam suam, quam et ipse saepissime et Pylades laudibus summis effert, agendo comprobat. Videt enim, quem ulcisci tantopere cupiebat, Aegisthum 2), nec tamen eum conficit, quod exspectabas a iuvene, morae deorumque iussorum tam impatienti illo; sed, compositae orationis arte, quam non iusserunt dii, fraudem tyranno facit, et salvum dimittit. Sensit eam perversitatem ipse Voltarius; in sequentibus enim Orestes, fere ut in alia conditione Hamletus 3), certe patris ad tumulum eum se interemturum esse minatur! A Pylade autem laudatus propter fervorem animi sui hic saltem prudenter domitum, matris aspectu se fuisse turbatum respondet; simul vero terribiles deos, sic enim consuevit eos vocare, implorat, ut accelerent ultionem a se plus, quam possit dici, desideratam. Quis non concesserit Orestem, cum primum matrem conspiceret, graviter debuisse commoveri? Sed harum commotionum, cum vehementer aliis incitamur perturbationibus, vis brevior esse solet; hic autem ille satis

1) Act. II. Sc. 1. Oreste:
Je n'ai contre un tyran sur le trône affermi,
Dans ces lieux inconnus qu' Oreste et mon ami.
et postea:
Mes pas étaient comptés par les ordres du ciel;
Lui même a tout détruit; un naufrage cruel
Sur ces bords ignorés nous jette à l'aventure.

2) Act. III. Sc. 5. et 6.

3) Shakesp. Hamlet. Act. III. Sc. 3. Hamlet:
Now might I do it, pat, now he is praying;
And now I'll do't? And so he goes to heaven:
And so am I reveng'd? cet.

diu colloquitur cum patris interfectore 1); matrem vero, quod gravissimum est, iam antea ad patris tumulum viderat 2). Neque leve illud habeo, quod ex hoc colloquio Clytaemnestra ante Aegisthum decedit, filiumque cum hoc relinquit solo.

At, dixerit quispiam, hic Orestes non potuit Aeschylei illius et Sophoclei strenuitatem imitari; quoniam apud illos poetas Aegisthus solus et dolo deceptus in insidias incidit; apud Voltarium semper satellitibus suis est circumdatus. Audimus, quanquam antiqui illi Orestes nunquam fortitudinem suam iactant; hic autem Gallicus, in deorum iussibus contemnendis tam audax, ubique sic loquitur 3), ut, quo maius periculum esset, hoc audacius ei accedendum fuisse ad illud facinus dicas. Sed laudamus eius non minus, quam Pyladis prudentiam; nec quaerimus, qui sit factum, ut de Aegisthi apud cives odio 4) non antea, quam proficiscerenter Argos, per nuntios aut exploratores certiores fierent; probamus etiam id, quod Orestes de rerum statu Pammenem interrogat, ab eoque ad caedem Aegisthi, quam Electra sola voluerat patrare 5), compa-

1) Act. III. Sc. 6. Hoc colloquium, nisi quod Orestes in eo sese male dubium exhibet, est praeclarissimum.

2) Act. III. Sc. 1.

3) Act. III. Sc. 8. Oreste:
Marchons; notre péril doit nous déterminer:
Qui ne craint point la mort est sûr de la donner.

4) Act. I. Sc. 1. Sc. 5. Act. II. Sc. 3. Act. IV. Sc. 7.

5) Act. I. Sc. 2.

ratum sibi sociorum auxilium exspectat 1). Probamus haec, dico, quandoquidem non ita in discrimine res versabatur, ut moram nullam ferret. Sed quo tandem nomine istam, ne quid gravius dicam, ignaviam Orestis excusabis, qua non se solum, sed etiam Pyladem per Aegisthum coniici in vincula sinit? Ad hospitii leges provocat perversus homo, apud sicarium istum, cum gladium habeat, cum ipsos satellites tyranni adeo trepidantes videat, ut repetere ille iussa sua cogatur, cum denique id perspiciat, si prehensus semel ab Aegistho fuerit, et deorum iussa et patris ultionem et spem suam et Pyladem et Electram et omnino omnia fore perdita 2). Sed mittimus hunc Orestem, cuius in partibus adornandis, quo fabula commotior fieret et mirabili quadam varietate implicatior, consilio Voltarius omnes admisisse perversitates videtur. Tacemus igitur cum de aliis pluribus, tum de gladio illo ipso, quo ulciscendus Agamemnon esset, in tumulo eius ineptissime deposito; sed negamus eos laudandos esse poetas, qui, cum civium suorum pulchri rectique sensus regere et conformare debeant, ad frivola vulgi studia se accommodant, artisque dignitatem corrumpunt.

Longe ab ea levitate castum Sophoclis ingenium aberat; artisque suae sapienti moderatione atque simplicitate venusta Athenienses, non sane

1) Act. IV. Sc. 1.

2) Act. IV. Sc. 7. Egisthe:

Quoi donc à son aspect vous semblez tous frémir?
Allez, dis-je, et gardez de me désobéir.

minus Parisiensibus inconstantes, spectaculorum, novarum rerum, varietatis cupidos, ita quodammodo subactos tenebat ac delectabat, ut vicies in certaminibus illis dramaticis prima, ceteris suis fabulis secunda reportaret; tertia nunquam acciperet.

Memorabile vero cum omnino in Sophocle, tum ab Electra iudicanda non alienum id habemus, quod, sicut Phrynichus primus muliebres personas induxisse in scenam fertur: ita ipse primus studium suum ad ingenium et mores mulierum appulit artis pulchritudine exprimendos. Causam rei iam supra commemoravimus; quippe, ut alii plurimi poetae in tragoedia excellentes, singulariter ille mulieres colebat: quarum quidem quam bene perspectam naturam haberet, egregie etiam huius fabulae probavit exemplo. Ac moderationis quidem illius suae in ea hoc quoque dedit documentum, quod, cum Electrae per totam fabulam animum monstraturus esset contra Aegisthum et matrem nefariam maxime exacerbatum, ultionisque patris, turpiter interfecti, cupidissimum: virginem non novo aliquo facinore induxit praeter modum conturbatam; sed eam primum ea commotam ostendit tristitia, qua inde ab patris interitu semper fuisset afflicta. Quae quidem doloris acerbitas ne grato aliquo careret temperamento, Sophocles Electram fecit cum virginali modestia luctuum suorum vehementiae ab choro quasi veniam petentem 1); simul vero, sicuti omnes ea, quibus vehementius

1) v. 248 sqq.

commoveamur, etiamsi nec nova neque ignota sint, eloqui inter amicos cupimus: ita Electra Aegisthi et Clytaemnestrae insolentem arrogantiam et in se crudelitatem enarrat choro; quo fit, ut tum hic, quam iustas virgo doloris causas habeat, intelligat, tum spectatores rerum omnium statum plenissime cognoscant. Non satis laudari potest in his Electrae sermonibus vel sensuum veritas vel, praesertim in querelis illis, dicendi generis et dignitas et venustas. Nec minus pulchra ea sunt, quibus mulieres benevolae, ex quibus chorus constat, consolari eam conantur; sed frustra: perpeti enim Electra durissima quaeque mavult, quam non lugere patrem mortuum et moerore suo parricidarum certe turbare scelestam tranquillitatem. Quae quidem eo sunt acerbiora, quo gravius Electra, aptissime muliebri eius naturae, quod sola ingens hoc luctuum onus ferat, conqueritur 1). Cum vero poeta praecipue, rarissimas in hoc sexu virtutes, constantiam illius summam et fortitudinem animi ostendere studeret, nec matris et tyranni saevitia fractam, neque amicarum precibus mollitam, nec beatioris vitae, qua facile, si mitiori esse vellet, frui posset, exemplo turbatam: praeterquam quod apte chorum timidiorem fecit, Electrae Chrysothemin apposuit, sororem, bonam eam quidem; sed faciliorem erga parricidas, ideoque lautius viventem. Atque ea, post chori cum Electra sermones illos, egressa domo, exhortatur et rogat sororem, ne diu-

1) v. 117. sqq.

tius, quippe quibus nihil efficiat, lamentationibus suis Aegisthi et matris in se iram excitet, eademque, nisi horum cesserit voluntati, iam gravissima ei parata esse vincula docet. Quibus non modo non flectitur Electra; sed severe Chrysothemin, quod mente occultum odium non verbis factisque ostendat, vituperat; se vero ab patre, tristi pietate colendo nullis deterreri suppliciis declarat. Deinde vero de inferiis, quas, iussa ab matre, soror in patris effundere tumulum deberet, certior facta, gravissime eam obtestatur, ne tanti flagitii se ministram praebeat, idque ab ea, quamvis timida, impetrat.

Jam igitur Sophocles Electrae nobis ita ingenium depinxit, ut eam admiratione et studio prosequamur singulari; sed inducendam sibi etiam Clytaemnestram censuit, personam in hac fabula expositu haud facilem. Atque Euripidem quidem, qui eam mulierem satis mitem, debilem, bonae hominum famae inepte studiosam fecit, infeliciter lapsum esse in hoc conatu inter omnes convenit. Aliter Clytaemnestram severa Aeschylea Musa instruxit, ut facile agnoscas mulierem, quae, cum adultero, reversum ex bello diuturno maritum, ad Lares suos, interemerit. Nec tamen apud Aeschylum ea cum Electra colloquitur; sed primum tunc progreditur in scenam, cum Orestes ei fictum de morte sua nuntium affert; postea vero, iam occiso Aegistho, filium, ut sibi parcat, imminenti fracta periculo, obtestatur. Quibus aliquanto difficilius id erat, quod sibi Sophocles pro-

posuit. Nam, postquam Clytaemnestrae impudentiam effrenatam atque insolentem, qua interfecto marito illudere soleret, superbiam enarravit in filiamque duritiam retulit: iam ipsam cum Electra, cum muliere mulierem, componit. In quo bene eum id fecisse dico, quod Clytaemnestra hanc suas contemnere minas solaque Aegisthi coerceri manu conqueritur. Scilicet virginis virtus et audacia nonnisi viri cohiberi vi potuit; matris nefariae furores contemsit; cum vero Agamemnonis caedem, subitarium facinus, patrare Clytaemnestra ausa esset: in filiam, quippè leviore agitata odio, muliebriter saeviebat. Nec vero mirabitur quisquam, quod Clytaemnestra apud filiam se defendere ab crimine illo studeat. Nimirum territa id somnio facit, nec magis apud eam, quam apud se ipsam quodammodo et apud deos, quos invocatura processit domo, se excusare cupit. Confidentius igitur loquitur, quippe angores suos simulata audacia oppressura, et facile Electrae, modeste roganti, ut de caede ista sententiam suam dicat, permittit. Qua quidem dicendi copia, antea, ut videtur, nunquam facta, haec sic utitur, ut speciosam istam matris sui defensionem plenissime refellat. Nec vero, vehementiae inverecundae accusata ab matre, eam negat, imo et dictorum suorum et tristis vitae squaloris sui se pudere fatetur; sed id ipsum miserrimum esse queritur, quod hanc ad dicendi vivendique turpitudinem matris factorum turpitudine cogatur. Deinde, silentio facto, Clytaemnestra Apollinem rogat, ut, si qua ancipiti somnio mala significentur, ea ab se suis-

que in inimicos, hoc est, in Orestem et Electram averruncet: atque his finitis precibus, Paedagogus ei Orestis mortem nuntiat. Quo audito, Electra, ingenti percussa dolore, se periisse exclamat; Clytaemnestra vero hominem accuratius, quomodo perierit ille, iubet exponere. Audit rem non sine dolore quodam: tantam enim matrum erga liberos amoris vim esse dicit, ut odisse ne osos quidem possint. Sed consolatur se eo, quod nunc tandem sibi ab metu vivere tranquillae liceat; magisque etiam de eo gaudet, quod iam Electrae, quae acerbitate sua sanguinem sibi exhauserit, spes omnis, in fratre posita, interierit.

Consilio hic plura de Clytaemnestrae moribus et ingenio disseruimus, siquidem non est dubium, quin eam Sophocles Electrae opposuerit, vitium virtuti, mulierem, sceleribus suis ab ipsa natura alienatam, virginis admirabili pietati, nec fortunae neque hominum vi ulla imminutae.

Sed, regressa in domum matre, Electra cum choro gravissime Orestem luget, et sibi quoque iam mortem dicit fore gratissimam. In quo non praeterire silentio possum, quod Laharpius etiam in eo Voltarii Orestem Sophocleae Electrae anteponit, quod in illa fabula Electra per laetam Iphisae de fratris adventu coniecturam ad bene sperandum iucundissime excitetur: in hac autem Chrysothemidis laetitia non modo minime sororem commoveat, sed etiam illi, ut inanis, omnis eximatur. Quis non concesserit, his animi motuum varietatibus et conver-

sionibus summam tragoediarum effici pulchritudinem? Nec tamen, si Voltarius suae hac peripetia novum adiecit ornamentum, Sophocles, quod id non fecerit, est vituperandus. Vitium enim in fabulis suis instituendis poetae recte non tunc putantur commisisse, cum non omnia, quaecunque excogitari in iis poterant, cumularunt; sed cum omiserunt aliquid eiusmodi, quod molestius deesse sentiant spectatores ac desiderent. Atque apud Sophoclem cum omnino Electrae animi motuum admirabilis est varietas, tum accessit etiam spei ex Clytaemnestrae somnio aliqua laetitia, quam repetere vel augere hoc in loco propterea poeta noluit, quod alia paravit, graviora. Etenim, Oreste mortuo, Electra nihil sibi relictum esse spei videt, vitam eam miserrimam ducit, morte peiorem. Itaque iam ipsa ulcisci patrem, Aegisthumque sua interficere manu constituit. Ad cuius facinoris societatem ubi frustra Chrysothemin, timidam, precibus et persuasione excitavit, indignabunda eam dimittit atque, sola ut luxit patrem, sic ad tyranni caedem sola se accingit. Post hanc vero virginis in patris interfectores odii et constantiam et audaciam expositam: quid cogitari potest pulchrius, quam eiusdem in Orestis cinere simulato luctus illi, acerbitate, desperatione, fratris, misere ut putat, mortui, amore incredibili tam pleni, ut legi sine lacrymis nequeant? Deinde vero, detecta fraude et fratre cognito, quantum gaudium, quanta fiducia! iam se nihil timere, iam se libere exsultare velle exclamat; monita tamen ab Oreste, prudentiore, se in omnibus

ad eius sese conformare nutum dicit, ei enim se dare omnia, neque timendum esse, ne ab matre, quantum sibi salutis contigerit, cognoscatur, prae gaudio enim se non desituram esse lacrymare. Nec vero poeta Electrae erga fratrem amorem ostendisse satis habuit: etiam in paedagogum, senem illum fidum, tam gratum eius animum fecit, ut blandissimis eum verbis excipiat, ut manus eius osculetur, ut patrem eum appellet. Sed urget opus atque iuvenes domum introeunt.

Jam vero ad eum pervenimus locum, quem facile in tota tragoedia graeca dixeris acerbissimum. Electra enim, cum intus lamentantem matrem filiique implorantem misericordiam audit, *at neque te eius patrisque nostri miseruit*, exclamat, posteaque, matre se ictam esse clamante, illa: *quin duplicem*, *si potes*, *inflige plagam* dicit. Duriora haec videntur, semperque erunt, qui in iis Sophoclem tenuem illam, quae hunc locum ab atroci imanitate seiunxit, lineam supergressum esse iudicent. Sed habent tamen illa et in fabulae omni institutione et in Electrae summa, qua tunc commota erat, perturbatione defensionem aliquam haud contemnendam. Etenim, quam graviter illa agitata esset, non est, quod demonstremus: viderunt id omnes, ex ipsaque audiverunt 1); vel maxime autem commotae eius ad Apollinis aram illae preces sunt: *Nunc*, *o Lycee Apollo*, *postulo*, *peto*, *tibi supplico*, *coepti huius ut adiutor sis benevolus.* Quippe in extremo res discrimine versatur, imminet Aegisthi

1) v. 1309 sqq.

reditus 1) et Electra certe non magis, mater ut occidatur, optat, quam, ne Orestes suus pereat, extimescit. Itaque Sophocles terrorem, summamque omnium turbationem, qua Aeschyli tota fabula commovetur, suis e rationibus, sapienter hoc uno in loco cumulavit, gravissimaque etiam choro illa tribuit: *Evadunt dirae, vivunt sub terra iacentes! Profusum cruorem exigunt ab interfectoribus dudum occisi.* Ac primus quidem, quo Electra, progrediente ex domo fratre, commovetur sensus, laetitia est, quod vivum eum conspiciat; cruore vero in manu eius conspecto, cohorrescit, nec se habere clamat, quid dicat. Cogitandi vero de facinore et conquerendi nulla fit copia; advenit enim rure Aegisthus, quem Orestes, falsum simulato Electrae dolore, ad mortem compellit. In quo mirabilis Scholiastae et Brunckii error est, qui in postremis Electrae verbis, quibus fratrem rogat, ne dicendi facultatem Aegistho faciat, haec:

Celerrime illum occidito, occisumque mox
Mandes sepulcro eiusmodi, quo dignus est;

sic acceperunt, quasi Electra eum canibus et volucribus voluisset praedam fieri. Nulla huic interpretationi ex Homeri loco, quem laudavit Brunckius confirmatio accedit 2). Sophocles enim, licet studiosissimus Homeri esset; de saevitia tamen ista in mortuos, quantum dissentiret ab eo, et in Aiace fabula

1) v. 1398 sq. et 1412.

2) Id facere iubet Electra, quod facturum fuisse Menelaum Nestor apud Homerum dicit, Od. III, 255. si, domum reversus, Aegisthum in vivis adhuc reperisset. Brunck. ad h. l.

et in

et in Antigone tam clare significavit, ut graviter certe irasceretur, mitis poeta, si posset audire a quibusdam Electram suam haberi tam ferocem, ut, quam ipse maxime semper improbasset, in mortuo adversario exercere crudelitatem vellet. Verum Electra, eo, quod addit, iis Aegisthi poenis se contentam fore, satis, severiores sumi ab eo posse, declarat; sed procul ab urbe et sepulcris patriis, nullis mortuorum additis honoribus, servis eum ignotisque hominibus tradi sepeliendum iubet 1); id quod apte Pausaniae loco confirmatur, in quo Aegisthum et Clytaemnestram, quoniam regio sepulcro indigni essent habiti, procul ab urbe humatos fuisse tradidit. 2).

Multum me fuisse video in Electrae ingenio et moribus exponendis; sed eius rei apud aequos lectores me facile eo inventurum esse excusationem spero, quod Sophocles in hac virgine tanta cum arte et odii et amoris atque pietatis vim incredibilem expressit, ut a nullo poeta id neque verius unquam factum sit neque pulchrius.

Vereor admodum, ut similes laudes Voltarii tribui Electrae possint; quandoquidem in hac etiam persona magno huic poetae imprimis id offecit, quod inde ab initio fabulae semper gravissime commotos habere spectatorum animos voluit. Itaque rem omnem eo agi die finxit, quem quotannis, quod etiam Sophocles memorat, Aegisthus, superbus in

1) De eiusmodi sepulturae contemtu plura Potterus habet. Griech. Arhaeol. übers. von Rambach. Tom. 2. p. 340 sqq.

2) Corinth. p. 147.

tyrannide sua, ludis celebravit, in nuptiarum suarum cum Clytaemnestra memoriam institutis. Electram vero, turpatam vinculis, secum ad id spectaculum adduxit tyrannus; quoniam metuebat, ne, si sola relicta Argis esset, querelis suis cives ad seditionem excitaret 1). Quaeri possit, quam hoc aptè excogitatum sit; sed, missa hac dubitatione, ad Electram nos convertimus, quae, ut primum progreditur in scenam, dolore atque ira tam vehementer agitatur, ut iam non lugendum patrem, sed caede ulciscendum esse dicat, seque sua manu, patris in tumulo, Aegisthum occisuram esse declaret. Eodem audaciae Sophoclis Electra processit; sed tunc tandem, cum fratris reditum suamque salutem omnem desperasset; neque enim, si prius id sustinuisset, tam vehementer desiderare Orestem debuisset. Quanquam in graeca fabula etiam Clytaemnestra punienda erat; Voltarius ab solo Aegistho sumi poenas voluit. Sed eius Electra, oblita oraculorum, non modo ira, dolore, ultionis cupiditate incredibili se commoveri dicit, sed fortitudinem suam praedicat tantam esse, ut mortem non timeat 2). Quae si non inania verba, sed vera

1) Act. I. Sc. 1. Pammène Sc. 4. Clytemnestre. Sc. 5. Egisthe.

2) Act. I. Sc. 1. Electre:

Quoi! j'ai vu Clytemnestre, avec lui conjurée,
Lever sur son époux sa main trop assurée!
Et nous sur le tyran nous suspendons des coups,
Que ma mère à mes yeux porta sur son époux!
O douleur! o vengeance! o vertu qui m'animes,
Pouvez-vous en ces lieux moins que n'ont pu les crimes?
Nous seules désormais devons nous secourir:
Craignez-vous de frapper? craignez-vous de mourir?

erant, cur exspectabat Orestem, cur non, quod posse se confideret, ipsa patravit facinus egregium? Imo cur non patratum id iam diu habuit, sed decimo quinto demum post patrem occisum anno de eo cogitavit? Scilicet tam diu et parricidarum turpitudinem et crudelitatem istam toleraverat; nec vero ad pristinam indignitatem nunc, praeter ipsius vincula, novum quicquam accesserat. Quid igitur? graviusne illa suo isto dedecore, quam patris caede commovebatur? Sed ista inania verba fuerunt; ingentesque virginis irarum fluctus sapienti Pammenis monitione facile componuntur. Non sane in his Sophocleam Electram agnoscimus, quae neque intempestive vult quicquam, neque, si quid apud se constituit, ab eo vi ulla aut persuasione avertitur. At Voltarius hoc noluit ingenium exprimere et consilio suam Electram fecit aliam. Constat inter peritos Aristotelem non probasse has ingenii morumque personarum mutationes 1); scilicet intellexit philosophus, eas haud fere posse fieri, quin ipsa, quae in fabulis his personis tribuitur actio, parum probabilis videatur. Ac vide, an in hanc Electrae et inconstantiam et vehementiam intemperatam, non minime nova ipsius sortis indignitate motam, tristitiae atque odii illa acerbitas conveniat, per quindecim annos, sine ulla remissione, alta et sustentata. Gravis in hoc eius erga sororem timidam lenitas illa est, qua ei se ignoscere dolorem istum tranquilliorem dicit, quoniam

1) poet. XV. 5. sqq.

minus ab Aegistho male habeatur 1). Quid enim? nonne ex his, si minus Electra Aegisthi experta crudelitatem fuisset, etiam ipsa aliquid remissura fuisse de odii sui vehementia videatur? Nam, quod addit, suam iram ultionisque cupidinem maxime eo excitari, quod ipsa tristissimam patris caedem viderit: eorum vis admodum insequenti eius, de qua modo diximus, inconstantia minuitur. Sed mirabile sane est, quod Electra iam non Aegisthi, cuius tam vehementi odio flagrat, immanitatem accusat; verum matris in Agamemnone interficiendo tam graviter foedam crudelitatem describit 2), ut ab ea cum horrore nos avertamus. Apparet, cur poeta hoc ita instituerit; scilicet Agamemnonis caedes enarranda erat, neque id aptius a quoquam fieri, quam ab Electra potuit, et filia illius, et, quae ipsa rem atrocissimam oculis suis conspexisset. Sed haec ipsa narratio, quo per se splendidior est, eo gravius igna-

1) Act. I. Sc. 2. Electre:

Je vous pardonne, hélas! cette douleur captive,
Ces faibles sentimens de votre ame craintive:
Il vous ménage au moins. De son indigne loi
Le joug appesanti n'est tombé que sur moi.
Vous n'êtes point esclave et d'opprobres nourrie.

2) Act. I. Sc. 2. Electre:

Vos yeux ne virent point ce parricide impie . . . .
. . . . où le fer à la main,
Clytemnestre . . ma mère . . ah! cette horrible image
Est présente à mes yeux, présente à mon courage . . .
. . . j'ai vu votre père attiré dans le piége,
Se débattre et tomber sous leur main sacrilége . . .
J'arrive. Quel objet! une femme en furie
Recherchait dans son flanc les restes de sa vie.

vam Electrae lenitatem comprobat, quippe quae, cum detestari eam matrem deberet, pluribus locis se non posse eam non revereri et amare declaret. Nec vero solum, sicubi in eam gravius aliquid dixit, acerbitatem suam ipsa accusat 1); sed eo indignitatis procedit, ut, postquam ex Clytaemnestra sortem suam tristem iam mitigatum iri audivit, tanto afficiatur gaudio, ut se ad pedes eius abiiciat 2). Atque hanc Electram quindecim per annos nihil nisi odium spirasse crediderls? imo ea, quod facile impetrasset a Clytaemnestrae indulgentia 3), ad Iphisam et Pammenem sapientem rus se contulisset, atque lacrymis, sicuti illa, rerum istarum indignitatem deplorasset. Scilicet Voltarii in hac persona exprimenda rationes maxime id turbavit, quod, primis partibus Oresti datis, ne nimis magnum Electrae studium excitaretur, constantiam eius sibi minuendam esse intellexit; ne vero commotione grata eius partes destitutae esse viderentur, immoderatam ei vehementiam istam tribuit, quam, qui singulorum tantum pulchritudinem sectantur, admirabuntur quidem; qui accuratius in rem omnem inquirunt, non possunt negare intempestivam esse et ineptam. Sed aliam in hoc loco difficultatem eo sibi creavit poeta, quod Clytaemnestram liberorum suorum fecit amantissimam. Etenim, cum non auderet ad eum amorem Electram immotam

1) Act. II. Sc. 6. Electre.

Hélas j'en ai trop dit: ce coeur plein d'amertume
Répandait malgré lui le fiel qui le consume. cet.

2) Act. II. Sc. 5. 3) Ibid. et Act. I. Sc. 3. et saepius.

ostendere, nimis eam mitem exhibuit et male inconstantem. Nec vero id apte institutum esse putamus, quod Electra, sicuti apud Shakespearium Hamletus, exhortatur matrem, ut tandem aliquando conscientiae suae cedat stimulis et, seiuncta ab Aegistho, nefario homine, Orestem revocet, filium, tam diu exsulantem. Nimirum hoc diu antea rogatam habere matrem debebat; tunc autem rei perficiendae vix quicquam relictum spei erat, siquidem et Clytaemnestra etiamtunc constanti erga Aegisthum amore flagrabat, et Orestes, exsilio exacerbatus diuturno, iam ad id aetatis roborisque pervenerat, ut ira eius esset maxime timenda. Deinde vero Electra fratris dilectissimi cinerem, qui putabatur 1), facilius Aegistho tradit, omnium hominum et illi et sibi odiosissimo. Quod quidem, cum in hac fabulae institutione vix posset evitari, melius profecto Sophocles suam Electram in id discrimen non adduxit. Quid vero de eo dicamus, quod Electra, gladio illo in patris tumulo invento, eius, quem, leviter sane, interfecisse fratrem suspicatur, tanto subito odio excitatur, ut iam ipsum occidere conetur; Aegisthum vero, omnium malorum suorum auctorem, temere missum faciat, patrisque ultionem, tantopere desideratam, omnem negligat 2)? Etiam eo invento Voltarius fratris agnitioni illi gratias affun-

1) De iis, quae in hoc cinere Orestis novavit Voltarius, bene indicavit Molardus: L'auteur a perdu le plus beau et l'endroit le plus pathétique de la pièce.

2) Multa, si qui accuratius examinare fabulam voluerit, disputari de hoc loco possint; nos vero, rem adumbraturi potius, quam absoluturi, in eo nos continemus, ut ipsos Voltarii istos versus apponamus:

dere novas studuit; sed certo Electrae suae male consuluit. In iis, quae insequuntur, si minus Electrae illius Sophocleae, at certe sororis, fratris amantissimae, angores, preces, gaudia, omnia tam praeclare sunt expressa, ut supra nihil possit: quanquam id nobis durius videtur, quod Electra fratrem, postquam, fatalierrore, matrem occidit, crudelem appellat, infelicemque hominem non consolatione aliqua erigit, sed accusatione sua etiam magis affligit.

Jam vero breviter de Clytaemnestra dicamus, quam Laharpius tam egregie ab Voltario dicit expressam esse, ut omnes, qui unquam eam personam conati sint in scenam inducere, post se longe reliquerit. Ac de Sophoclis quidem in Clytaemnestrae moribus fingendis consilio supra disseruimus; etiam id iam significavimus, quod Voltarius, qui eam nollet deorum iussu occidi, liberorum suorum et Orestis amorem ei tribuit maximum. Grave profecto hac novatione sibi onus imposuit poeta; sed eximio, quo pollebat, ingenio, artisque sua peritia haud indignum. Itaque, postquam in hac omni fabula Clytaemnes-

Act. IV. Sc. 3. Electre:

> Egisthe, m'a-t'-on dit, s'enferme avec la reine;
> De quelque nouveau crime il prépare la scène;
> Pour fuir la main d'Electre, il prend de nouveaux soins;
> A l'assassin d'Oreste on peut aller du moins.
> Je ne puis me baigner dans le sang des deux traîtres:
> Allons, je vais du moins punir un de mes maîtres. Et postea:
> Une mère! ah grands Dieux! . . ah, je veux de ma main,
> A ses yeux, dans ses bras, immoler l'assassin.

Quidni potius Aegisthum? quaeras. Ac fiducia illa infirmae puellae quis non sentiat, quam sit ridicula?

tram nobis proposuit, sceleris sui conscientia maxime turbatam ac pene fractam, sed in Aegisthi turpi amore isto constantem: in Orestis summo periculo animum eius nobis ostendit tam vehementer commotum tamque ad audendum omnia paratum, ut haec fabulae pars praestantissima sit summisque laudibus dignissima. Verum ad hanc artis excellentiam Voltarius tunc denique ascendit, posteaquam sese ab magni exempli sui quasi molesta aemulatione quodammodo liberatum vidit; in priore fabula etiam in Clytaemnestrae partibus plura posuit, quae vituperatione iusta non careant. Mittimus eam quaestionem, cur omnino scelestam istam mulierem adeo studiosam liberorum suorum finxerit. Siquidem omnes mores eius adeo animum nostrum suspensum inter miserationem et contemtum tenent, ut materni amoris in tanta turpitudine vis illa incredibilis prope moleste et male nos afficiat. Sed faciamus, artem ab hac muliebris ingenii atrocitatis cum insito prolis amore coniunctione non debuisse abstinere: certe gravius et dignius nos commovisset poeta, si in tota fabula fortiorem atque elatiorem Clytaemnestrae animum finxisset. Scilicet tunc vel postrema haec eius in filio defendendo audacia magis inopinata fuisset, neque levioribus istis, quae antecedunt, commotionibus debilitata, vel admirationem saltem habuisset, in tanto scelere, imperturbata mulieris ferocitas. Nunc vero ab initio fabulae Clytaemnestram delictorum suorum conscientia misere cruciatam videmus; felicitatem suam deletam esse, pristinas amoris ille-

cebras, videlicet quindecim post annos! periisse conqueritur; invita per Aegisthum ad infestum ludorum illorum splendorem trahitur; metuit ab Oreste et Electra; imo timet, ne gravibus illis, quibus agitetur, doloribus mors sua, quam desiderare vel maxime debebat, acceleretur. In his omnibus miseram e vulgo mulierem agnoscimus; sed miramur profecto, cum Clytaemnestra iam se id tantum dicit exoptare, ut extremos vitae suae dies tranquille degere inter suos possit! Quippe haec tam indigna est cogitatio, ut indignitate tantum ea ratione superetur, qua potissimum illud se sperat asseculturam esse. Hortatur enim Electram, ut de Oreste quidem in postremum ne loquatur; sed Plistheni ut nubat, Aegisthi, patris interfectoris, filio, tunc quidem ad Orestem insidiis occidendum a patre emisso! 1) Ab Aristotele Euripidem, quod praeter necessitatem Menelaum turpem fecerit, graviter vituperari constat; ego vero, hac Clytaemnestrae turpitudine, quid cogitari turpius possit, non invenio. Neque Voltarius ea quicquam voluit, nisi, ut Electra, quantum abhorreret ab hac infamia, matri declararet; quanquam etiam ea statim post matris abitum, certe inconstantius, poenitere se illius vehementiae suae profitetur. Quid ergo refert, si recte haec notavimus, plurimos, quos Voltarius Clytaemnestrae tribuit, versus laudibus efferre, ut praestantissimos? scilicet sic cum mediocribus agitur poetis; eminentibus illis in-

1) Non fere tunc subito Clytaemnestra in hanc cogitationem incidit, sed diu antea rem cum Aegistho habebat comparatam: Act. II. Sc. 4.

genii et artis principibus eum quasi honorem habemus, ut, cum incuria sua non expresserunt absolutam illa, quam soli queant nobis proponere, pulchritudinem, graviter eos quasi neglectae officii sui dignitatis accusemus.

Iphisa Voltarii (Graecorum Iphianassa) Sophocleae Chrysothemidis partes agit, eo in hac fabula leviores, quo ipsa Electra inconstantior est et ad cedendum facilior. Cum vero etiam Iphisa sorori se, in patris sepulcro, fratris adventus quaedam reperisse indicia nuntiet, inter utramque fabulam hoc interest, quod Sophoclis Electra id non credit; Voltarii Electra summa hoc nuntio et spe et laetitia afficitur. Nonne igitur miremur, quod ad sepulcrum, tam carum sibi tamque diu non visum, nunc vero, propter ipsa signa illa, quam maxime visendum, audax illa virgo, non celerrime ipsa accurrit, sed ad id sororem redire solam sinit, ipsa vero ad Pammenem abit consulendum?

Nec vero Aegisthum praeterire licet, quem recte Laharpius apud Sophoclem non nisi ad id dicit induci, ut interimatur. Nimirum sceleris ab eo patrati tota fabula plena est; ipsum nemo desiderat. In extremis autem versibus animus tyranni, initio ferox, postea vero, inopinato Orestis adventu et Clytaemnestrae cadavere conspecto perculsus et plane consternatus, sic exprimitur, ut satisfactum esse poetae consilio videatur. Nec vero eo, quod hanc Sophoclis simplicitatem laudamus, Voltarium, qui rem aliter instituit, reprehendimus. Apte enim uterque poeta et suis et aetatis suae rationibus egit, be-

neque Gallus tantum suo Aegistho actionis tribuit, ut in eo magna pars fabulae vertatur. Durum eum hominem finxit, humanitatis et bonitatis sensus omnis expertem, regnandi cupidissimum, suspicione semper agitatum, ad agendum promtum. Itaque ipse Clytaemnestrae se ita Orestem, filium eius, circumdedisse insidiis narrat, ut effugere vix possit, nec dolore et deprecatione eius commovetur; sed hoc fieri necessarium esse asseverat. Harum insidiarum primus Euripides in Electra sua mentionem fecit 1), quamquam apud eum nullus huius inventionis usus est; Voltarius autem eas optime in rem suam vertit, quandoquidem in iis potissimum fraus nititur, de Orestis interitu illi facta, atque graviter ad commovendos animos, suis quasi retibus ipse tyrannus capitur. Sed, cum suspiciones hominis in plerisque egregie Voltarius depinxerit 2): in talibus ingeniis exprimendis difficillimum id habemus, ut non otiose atque in levioribus tantum rebus strenua sint: in gravioribus atque ibi, ubi nos id optemus, caecutiant. Facillime sic decipi tyrannos manifestum est; nec tamen admodum eius fabulae laudandam artem censeo, in qua plus omnes spectatores, quam illi videant. Atque in nostra fabula miseram Electram ita circumsessam esse ab speculatoribus audimus, ut promovere pedem nequeat, quin Aegisthus id cognoscat 3); ipse vero Aegisthus fre-

1) v. 31. sq. cf. 254 sqq.

2) Cf. imprimis Act. III. Sc. 6.

3) Act. IV. Sc. 1.

mere populum sibique omnia suspecta esse dicit 1). Parum igitur probabile est, quod Pammenis, boni et prudentis viri, tantam habet fiduciam, ut ab eo certior fieri de peregrinis illis velit, qui maximam ei movere suspicionem debebant. Collocuti enim cum illo, simul atque Aegisthus advenit, abeunt, tam prope ab hoc conspecti, ut alterius vultu et habitu se perculsum esse tyrannus dicat. Cur ergo non ipse ad se eos revocat? Deinde vero, siquidem omne periculum sibi ab Agamemnonis imminere sepulcro sciebat, nonne mirum est, quod in eo, ad circumveniendos illos peregrinos, nullos neque custodes neque speculatores collocavit? Scilicet Orestem ibi fuisse casu quodam audit, nec de inferiis, ibi effusis, quicquam resciscit; sed temere fictis illius verbis fidem habet. Sed gravius etiam id est, quod, inscio tyranno suspicioso, Pammenes socios colligit, non fere nocte, sed interdiu; quod nequibat fieri, quin conventus haberentur nunciique et emitterentur et acciperentur. Postea vero, de filii sui morte certior factus, Aegisthus solum Orestem cum Pylade abripi in vincula iubet; de Pammene, sane maxime suspecto, non cogitat. Intelligunt omnes haec a Voltario parum apte esse instituta; nec profecto id possumus laudare, quod Aegisthus, cum iam comperisset gravissimum adversarium suum, Orestem, in sua manu esse, iussissetque eum et Pyladem interfici: quantum, si agnitus ille foret, sibi periculum in-

1) Act. II. Sc. 3.

staret, non vidit; sed confabulari cum Clytaemnestra, quam ipse praesens rem urgere seque ab omni liberare metu maluit. Atque hoc quoque ad totius fabulae huius dispositionem pertinet, quam summis laudibus quidam efferunt et Sophocleae isti simplicitati longe anteponendam esse docent! Miros laudatores, qui quidem, cum apud Sophoclem semper, cur adveniant, cur maneant, cur abeant actores, necessariae causae perspiciantur ab omnibus: difficile, puto, in se onus susciperent, si idem in Voltarii fabula conarentur demonstrare: in qua, inde ab secundi actus scena tertia rarissime ulla, cur in eum potissimum locum, eo tempore, hi ipsi, neque alii conveniant homines, necessaria inveniatur ratio.

Ut vero in omni fabula sua Voltarium praecipuo studio ea videmus amplexum esse, in quibus minus Sophocles elaborasset: ita etiam Pyladem, mutum apud hunc, tanta ille nobis cum arte proposuit, ut, si postremam fabulae partem exceperis, de qua supra dictum est, iuvenem sapientem, moderatum, strenuum, erga amicum et deos pietate excellentem, summa et admiratione prosequamur et benevolentia. Eiusdemque vel reprehensionis vel laudis participem Pammenem habemus, sacerdotem dignissimum, ab Voltario in Sophoclei paedagogi locum apte substitutum.

Absoluta hac disputationis nostrae parte gravissima, reliquum est, ut verbo de eo dicamus, quod Voltarius Sophoclem haud satis cavisse ab repetitionibus quibusdam et declamationibus iudica-

vit. Alteram enim notam istam, quod magnus ille poeta parum studiose reconditos humani pectoris sensus expresserit, hic praeteriri posse arbitror, siquidem in hac arte, quid praestiterit uterque poeta, satis clare effici ex omni dissertatione nostra videtur. Atque repetitionis nomine, quae potissimum in Sophoclis Electra vituperaverit Voltarius, definitu difficilius est. Vix enim huc id referas, quod in fabulae initio Electra saepius nunquam se cessaturam esse a patris luctu dicit. Primum enim hoc patris quasi manibus promittit 1); deinde vero, monita ab amicis mulieribus, ut remittat de moerore suo nimio, id se non posse facere respondet 2); et, praeclare ad miserationem commovendam, eas rogat, ut sinant se, quam diu possit, lugere. Neque magis id ego reprehenderim, quod bis illa, quod sine marito liberorumque solatio vitam degat, conqueritur; quandoquidem in altero loco, eo, quod Orestes moretur redire, se vivendi omni destitui dulcedine significat; in altero autem, pulcherrimo illo, tantis in malis miseram solitudinem suam deplorat. Nihil de omni lyricae poeseos ratione dico, quae, quibus maxime aliquis agitatur, sensus repetita exprimere vehementia consuevit, nec de doloris natura, qui, quo est gravior, eo esse simplicior solet atque in paucos quosdam sensus quodammodo constrictior. Diversi ab his locis alii sunt duo, in quibus et ab Electra et a choro, ubi

1) v. 103. sqq. 2) v. 130. sqq.

ad diverbia venerunt, repetuntur quaedam, iam antea, lyricis metris et canendo, prolata. Chorus enim bis, erga Electram benevolentia sua motum, se rogare eam dicit, ne nimium dolori suo cedat, atque Electra gravissima se ad id cogi necessitate repetit. Quae qui vitio vertere Sophocli voluerit, eum omnem dramaticae artis apud Graecos institutionem oportebit reprehendere. Nam, cum principio tota tragoedia choris et cantibus contineretur: etiam postea, diverbiorum vicissitudine iam maxime exculta, chorus, ex pristina natura sua, tantum retinuit, ut in aliis quidem cum actione coniunctissimus, imo ipse actor esset; in aliis autem ab ea separatus haberetur, plerumque moderatior et sapientior agentibus, ad probitatem, iustitiam, pietatem hominibus commendandam aptissimus. Ut vero metra, quibus in canendo chorus utebatur, lyrica, differebant a colloquentium et agentium metris: ita non dubitabant poetae multa canentibus tribuere, quae in diverbiis aut iam erant dicta aut postea dicebantur, idemque sibi licere etiam tunc putabant, cum actores, gravius perturbatione aliqua excitati, ad lyricorum metrorum sublimitatem et commotionem assurgebant. Constant inter omnes in choro instruendo Graecae tragoediae triumviros illos diversissimam rationem secutos esse; sed huius licentiae exempla apud omnes inveniuntur 1). Quae quidem cum ad Voltarii istam reprehensionem sufficere videantur: cetero-

1) cf. Aesch. Sept. adv. Thebb. init. Soph. Trachinn. init. Oed. R. init. Eurip. Hippol. init.

quin periti omnes consentiunt Sophoclem in hoc loco, qua imprimis excellit arte, ex commotioribus illis rhythmis colloquentes, admirabili cum suavitate, ad trimetrorum tranquillitatem deduxisse, repetitioneque illa exponendarum rerum, quas spectatorum intererat cognoscere, sibi copiam fecisse aptissimam.

Cum vero eorum, quae repetitionis nomine vituperata ab Voltario viderentur, saltem vestigia quaedam invenerim: in quibus declamandi inanitatem ille reprehenderit, non video. Aequius enim de iudicii eius veritate sentio, quam quem ad pulcherrimas illas Electrae in fratris cinere querelas hanc retulisse notam credam, tam veras eas et simplices, ut non fictae, sed ex ipsa expressae esse natura videantur. Nec vero longiores sunt, ut in dramate, aut nimis lyricae; siquidem doloris hoc proprium est, ut, circumstantium nulla ratione habita, longis querelis quasi effundere acerbitatem suam cupiat; diversissimus in hoc ab laetitia, quae, sicuti postea Sophocles eam depinxit, exclamationibus brevibus et abruptis exsultat. Itaque haec Voltarium, nolim enim gravius aliquid suspicari, festinantius scripsisse dico. Cum vero ipse, severitate sua, nos in hunc deduxerit locum, haud male forsitan, quam caute vitia illa, reprehensa in Sophocle, ipse fugerit, quaesiverimus. Sed hoc, ab instituto nostro est remotius: quare breviter tantum id monemus, quod, cum ab repetitionibus recentiorum ars facilius caveat, tamen eo nomine, hac in fabula, haud immerito Orestis deorum istas accusationes notaveris, eo molestiores, quo ini-

initio saltem iniustiores sunt 1). Declamatione autem, quo imprimis Gallorum tragoedia premitur vitio, plures in hac fabula loci haud leviter laborant; ex quibus, praetermissis Electrae furoribus, exempli causa unum tantum illum commemoro, in extrema fabula positum, in quo Orestis desperatio exprimitur. Praeclare per se haec omnia et cogitata et dicta sunt, tantaque nos, ipsa vehementia sua, commotione afficiunt, ut prope, quam vera sint, quaerere obliviscamur. Attamen accuratius rem explorantibus primum id occurrit, quod Orestes pluribus in locis matris aspectu se incredibiliter turbatum exhibuit, singularemque eius reverentiam quandam declaravit; deinde vero, quod Clytaemnestra, cum abit, filii vitam summo suo ipsius periculo defensura, maximum eius amorem significat. Num igitur quicquam naturae aptius est vel similius veri, quam in contentio-

1) Huc etiam singula quaedam pöesis revocare, veluti in Act. II. Sc. 1. illa Oreste:

> A peine as-tu caché, sous ces rocs escarpés,
> Quelques tristes débris au naufrage échappés.

atque ibid. Oreste:

> As-tu caché, du moins, ces cendres de Plistène,
> Ces dépôts, ces témoins de vengeance et de haine;
> Cette urne qui d'Egisthe a dû tromper les yeux?

In quibus, praeterquam, quod mirabili casu, urna ista evasit e naufragio, novum Orestis inertiae exemplum habemus, quippe qui has res non ipse absconderit, sed eam quoque curam Pyladi commiserit. Sed cf. praeterea illa Pyladis Act. III. Sc. 3.

> Cher Oreste! crois-moi, des femmes et des pleurs,
> Du sang d'Agamemnon sont de faibles vengeurs.

et, Act. IV. Sc. 1.

> Il faut venger Electre, et non la consoler.

ne illa ab Clytaemnestra non solum Aegisthi, sed etiam filii amoris signa aliqua et data esse et cognita ab Oreste? Vix dubitare de hoc possumus; siquidem, si id non esset factum, citius ille tyrannum confecisset; sed hoc ipsum gravissime Orestem commoveret, necesse erat, ut de matris precibus illis atque erga se amoris significatione certe verbo uno memoraret. Sed frustra eiusmodi aliquid exspectas: nullum in istis sermonibus doloris signum, sed nihil nisi desperationem atque furorem invenis, ita acumine et argutiis rhetoricis luxuriantem, ut in eo non naturae veritatem, sed artificem agnoscas, disertum, meditato verborum sententiarumque splendore et sibi et fabulae suae laudes conquirentem. Nimirum criminis ingentis a se commissi Orestes terrore agitur, seque sceleslis gentis suae auctoribus comparat; miratur, quod sol, qui in Atrei coena illa nefaria ex orbe suo recesserit, nunc non in aeternam noctem omnes abscondat; denique tam vehementer deos accusat, aeternos tyrannos, miserationis expertes, criminis sui auctores eosdem et ultores crudelissimos, ut acerbe quasi triumphare videatur, quod recte eos in tota fabula rerum humanarum arbitros iniustos et atroces vocaverit.

Jam vero antiquae fabulae cum recentiore comparationis meae finem facio. In qua, cum longe illam huic anteponendam esse iudicaverim: non vereor, ne quid immodestius egisse vel cupidius dicar. Etenim, si quis alius, ego Voltarii et ingenii et artis admiror excellentiam, beneque scio eum hac tra-

goedia alias fecisse multo praestantiores. Nec vero de iis viris, qui, sicuti ille, tot tamque iustis nominibus gloriae immortalitatem sunt assecuti, illud: de mortuis nihil nisi bene, praeceptum esse existimo. Non moriuntur splendida illa nomina, neque de eorum operibus iudicia nostra his benignitatis circumscribuntur angustiis. Gravissima autem veritatis iura sunt; neque ego in Sophoclem iustus esse poteram, quin de Voltario iudicarem liberius. De nonnullis vero maxime propterea disputavi copiosius, quo evidentior Laharpii levitas fieret, de Sophoclis Electra sic iudicantis, quasi eius excellentia Voltarii ingenio omnis obruta esset ac mirum quantum superata. Quo multo verecundius Molardus egit, qui Sophoclis cum recentioribus poetis comparationi suae Horatiana illa adiunxit, aetate nulla senescentia:

. . . . Vos exemplaria graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.

TRACHINIAE.

Plura eiusdem scriptoris opera, genere suo non diversa, legentibus nobis evenire solet, ut, cum alia aliis magis nos ad se attrahant et oblectent; ex illis potissimum de omni scriptoris arte et ingenio nobis iudicium conformemus, ad quod, quasi ad normam aliquam, quae ab eo profecta sunt, omnia revocemus. Quod, ut per se non potest improbari, ita nonnunquam id habet incommodi, quod, perfectiorum illorum, vel praecipue nobis probatorum operum studio, in reliqua reddimur iniustiores. Atque hoc quidem in hac fabula aestimanda accidisse Schlegelio videmus, qui eam ceteris Sophoclis tragoediis adeo inferiorem esse iudicat, ut velit, monstrari possit, eam non ab ipso, sed a filio eius, Jophonte aut ab alio illius aevi Sophoclis sectatore esse scriptam. Vituperat autem in ea tantum non omnia: universam institutionem, singularum partium dispositionem, dicendi genus, prologum, parum ceteris prologis Sophocleis similem, denique tenuitatem quandam, magni illius poetae acumini altaeque menti haud fere aptam 1). Gravis sententia! eoque minus nobis negligenda, quo periti omnes viri illius egregii de his rebus iudicia pluris faciunt.

Atque eo quidem, quod hanc fabulam fortasse ab Jophonte aut ab alio Sophoclis discipulo factam

1) l. l. tom. 1. p. 195.

esse dixit Schlegelius, nihil, opinor, voluit, nisi eam sibi non quidem ab ipso Sophocle videri scriptam esse, sed inesse tamen in ea aliquam Sophocleae artis similitudinem. Ceteroqui de Iophonte, quae commemorantur 1), sunt eiusmodi, ut potius plures ei adscriptas fuisse fabulas coniicias, quarum magnam partem benignus pater composuisset, quam ipsius fabulas ad Sophoclis relatas esse nomen credas. Nec vero Aristoni, de quo paucissima veteres tradiderunt, aut Sophocli minori, maioris nepoti, et imprimis ei caro 2), Trachinias fabulam attribuas, cum neque Aristophanes hos inter tragicos, sua aetate excellentes, nominet 3), et, quod gravissimum est, neque praetermissum ab Schlegelio, Cicero 4) hanc tragoediam sic commemoret, ut eam sine dubio pro maioris Sophoclis habuisse opere videatur. Verum ipse vir doctus hanc suspicionem parum probabilem duxit atque in extrema sua sententia saltem Sophoclem in Trachiniis non ad consuetam suam excellentiam pervenisse, sumendum esse statuit. Quod quidem, ut clarius perspiciatur, quo iure fecerit,

1) cf. v. locos veterum ap. Boeckhium collatos l. l. p. 115. ex quibus Suidae illius postrema ego sic intelligo: *praeter has suas fabulas ille alias quasdam patris docuit;* ut de Sophocle auctore fortasse nemo dubitaret. Similiter etiam Aeschyli plures fabulae doctae esse ab aliis videntur. cf. Boeckh. ibid. p. 52. sqq.

2) cf. de utroque poeta ibid. p. 116. sqq.

3) Rann. fab. v. 72. sqq. non enim hanc fabulam a quoquam ad ea revocari poematia puto, quae indigniora haberet Aristophanes, quam de quibus mentio fieret. Scilicet de hoc postea videbimus.

4) Tuscul. quaestt. II.

primum totius institutionis ac progressus fabulae conspectum proponimus; deinde in reliqua inquiremus.

Ac primum quidem Deianira 1) cum de omnis vitae suae infelicitate conqueritur, tum, oraculo quodam territa, gravissimum suum Herculis, mariti, quindecim menses iam absentis, desiderium declarat. Monita vero ab una ex pedissequis Hyllum filium, forte advenientem et de patre, quae fama accepisset, enarrantem, rogat, ut ad patrem quaerendum illico iter suscipiat. Tum chorus virginum Trachiniarum, cognito reginae angore, hortatur eam, ne spem omnem abiiciat: post tristia enim evenire laeta solere, firmumque Herculi in Jove patre esse praesidium. Quibus Deianira sese non sine causa cruciari metu respondet; tempus enim Herculis reditus, significatum oraculo, fere effluxisse, seque marito optimo fortasse iam esse privatam. Erigit moestam nuntius quidam ex populo, Licham advenisse neque procul ipsum Herculem abesse referens. Quo audito, et Deianira et chorus gaudio maxime exsultant. Nec moratur Lichas, Herculis legatus; sed cum captivarum mulierum succedens agmine, Deianirae de Hercule, brevi adventuro, plura refert; de Jole autem, pulchritudine et iuventute excellenti inter ceteras, rogatus Lichas, de ea nihil se compertum habere simulat; quare benevole acceptas mulieres regi-

1) Eleganter fabulae argumentum in Trachinn. edit. sua Groddeckius explanavit, vir celeberrimus, quem in pluribus eo sum libentius secutus, quo prioribus fab. editoribus rem instituit aptius.

na abduci in palatium iubet. Nuntius autem ille, quod ex Licha, imprudentiore, antea audivit, Deianirae Herculem vehementissimo huius puellae flagrare amore aperit, Lichasque, quippe reditum ad Herculem parans, egressus domo, et huius hominis quaestionibus et reginae precibus ac moderatione commovetur, ut istud verum esse confiteatur. Non leviter, ut par erat, hac re illa perturbatur: sed, dissimulata agitatione sua, rogat Licham, ut secum domum introeat; se enim marito pro his donis alia dona esse missuram. Interea chorus Veneris vim canit; Deianira autem, dum Lichas, mox abiturus, captivis intus praecipit, ex aedibus regressa in scenam, Herculi se negat irasci posse; sed gravissimorum, quae, hac virgine adducta, sibi instent, malorum, remedium se invenisse docet, per se non suspectum istud: tunicam videlicet, Nessi Centauri sanguine pro philtro infectam, qua indutum Herculem ita speret delenitum iri, ut Jolae se ipsam praeferat. Quibus non improbatis per chorum, Deianira tunicam, cista reconditam, additis aliis mandatis, Lichae tradit ad Herculem perferendam. Jam igitur chorus proximum Herculis reditum cantione celebrat, cum perterrita ex palatio Deianira prodit; vellus enim, quo tinxit tunicam, ad solis radios subito, scobis instar, consumtum esse narrat timetque maximopere, ne similiter Nessi sanguis ipsum Herculem conficiat. Idque accidisse, qui invenerat patrem, Hyllus reversus, non sine matris reprehensione, nuntiat, iamque afferri illum dicit, moribundum. Deianira post haec tacite se

domum recipit; nec multo post ad chorum, qui calamitatem ex illa arte profectam cecinit, nutrix illius accurrit, infelicem mulierem semet ipsam interemisse narrat. Novae chori et de Herculis et de reginae infortunio querelae; sed, advenientium audito strepitu, chorus conticescit atque Herculem cognoscit, somno consopitum, a sociis allatum. Experrectus heros graviter calamitatem suam luget, non profecto, eum se laboribus suis meruisse finem queritur, invictum sese turpi mulieris necari dolo lamentatur; denique filium obsecrat, ut matrem sibi ad supplicium adducat. Certior tamen ab hoc de re omni factus, iam evenisse oracula sibique moriendum esse intelligit. Itaque ab Hyllo precibus minisque efflagitat tum, ut, rogo in Oeta monte exstructo, se comburendum curet, tum ut Jolem ne alii sinat nubere, sed ipse uxorem ducat. Cedit ille tandem patremque sublatum ex scena educit.

In his primum id observatione dignum est, quod, cum in ceterarum Sophoclis fabularum exordiis semper inducantur aliqui, qui, colloquentes inter se, spectatoribus rerum statum significant; hic Deianira sola loquitur, ut prologus haud dissimilis sit nonnullis Euripideis 1). Ex quo, quod integre quaerentibus efficiatur, unum hoc invenio: poetam non in omnibus fabulis eandem sibi legem praescripsisse, quamque sexies eum videamus secutum esse, eam non omnis artis eius quasi normam esse constituendam. Imo Sophoclem in hac

1) cf. Eichstaedtius de dram. gr. com. sat. p. 100 sq.

fabularum suarum parte adornanda variam rationem iniisse vel ex eo colligas, quod in Aiace prologi partes Minervae deae et Ulyssi dedit; in Oedipo tyranno hunc cum sacerdote fecit sermones conferentem; Electrae autem, Antigonae, Oedipi in Colono, Philoctetae exordium ab iis duxit personis, quae in his fabulis partes agerent praecipuas. Praeterea Deianira hic non sola in scena erat; sed, quippe regina, secum pedissequas habebat plures, ex quibus una, commota eius doloribus, ei suasit, ut patrem qui quaereret, Hyllum filium emitteret. Quanquam non ideo Deianiram ad famulas de sorte sua conquestam esse dixerim, sed ita eam secum ipsa lugebat, ut tantum non in omnibus Sophoclis fabulis plures secum ipsis calamitatem suam revolvunt. Cum vero hoc exordium simile nonnullis Euripideis esse dixerim: a plurimis in eo differt, quod non ab subita rerum enarratione incipit, sed a cogitatione orditur ea, ad quam aptissime Deianira omnium vitae suae aerumnarum enarrationem adiungeret.

Deinde, casu quidem, nec tamen praeter verisimilitudinem Hyllus advenit; chorus autem in hac fabula prorsus eadem ratione atque in Electra inducitur. Cui quod de oraculis regina eadem enarrat, quae modo Hyllo declaravit, id minime reprehendendum est; nam eorum potissimum timore illa cruciatur, totaque fabula in eorum vi et veritate vertitur. Quis vero, quam apte poeta nuntium istum invenerit, non videat? Nimirum homo iste ex plebe, reginae ductus studio, primum ante

Lichae adventum de Herculis reditu nuntiat; deinde vero de Jole illum mentitum esse, eamque vehementissime ab Hercule amari Deianirae aperit. Tota ex hoc invento fabula pendet: non enim regina, nisi hoc resciyisset, marito tunicam istam misisset fatalem; praeclareque et imprimis tragice monemur hoc exemplo, quam male interdum amicorum benevolentia, ipsiusque veritatis studio, per se optimo, saluti nostrae prospiciatur. Nec minus bene Lichae et adventus et duplex ex palatio egressus habet: quippe redire ad Herculem eiusque sacris interesse cupit; quod autem, quae in foro non dubitasset in vulgus narrare, ea celare Deianiram studuit, accuratius qui de re cogitaverit, nemo mirabitur. Etenim, proxime instante Herculis reditu, non erat, quomodo rem illa ignoraret. Quare Lichas nihil nisi eam per se certiorem fieri de futuris malis, noluit 1); de eo, quod ex imprudentiore sua in foro narratione perferri ad eam posset, ut assolet fieri, non cogitavit. In omni autem hoc Lichae cum nuntio illo et Deianira colloquio tanta cum arte poeta simplicissimam naturae expressit veritatem, ut supra nihil possit. Ac piget fere ea excusare, quae non egere excusatione periti facile intelligant; utilitatis tamen ex hoc labore forsitan ad eos nonnihil redundaverit, qui, re parum perspecta, in nostra fabula cupidius, quam iustius, plura solent vituperare. Itaque id quoque monendum est, Deianiram

1) v. 480. sqq.

apte chorum consilii sui participem facere, utpote mulierem mulieres et consilii sui ab illis confirmationis aliquid sibi exoptantem. Quo facto et dimisso cum tunica legato, Deianira tum bene redit in palatium, tum ex eo rursum, timore agitata, progreditur in scenam atque Nessi sanguinis, Herculis sagitta illa venenati, ita vim describit, ut, quanta iam imminerent mala, clare omnes perspiciamus. At vero itinera, pro temporis interpositi brevitate, in hac fabula et nimis multa fiunt et conficiuntur celerius? Audimus; nec tamen haec ex Gallorum legibus illis aestimanda, sed ad Antiquitatis revocanda morem censemus. De quo, ne longus sim, tantum id moneo, quod vel Euripides in Supplicibus, Heraclidis, Alceste, vel Aeschylus in Agamemnone et Eumenidibus, multo sibi plus sumserunt, vel ipse Sophocles in Oedipo suo Coloneo, dum chorus cantat, Thesei et Creontis comites manus conseruisse finxit. Nec vero in nostra fabula Hyllum poeta sic reducit in scenam, ut temere, scilicet narrandi gratia, deseruisse patrem videri possit; sed prudenter et Herculem somno consopitum facit, et Hyllum, qui tunc aliud patri nullum praestare officium posset, ea mente praecucurrisse docet, ut domi illi, quo reciperetur, lectulum praepararet 1). Sed, quandoquidem in hac fabula, propter ipsam eius accusationis naturam incertiorem, omnia tanquam suspicione quadam premuntur: etiam senis, qui cum Hercule advenit, aliqua suscipienda defensio videtur.

1) v. 902.

Quam non est, quod diu quaeras; siquidem, cum Hyllus reliquisset patrem, necesse erat, alius induceretur, qui interim curam eius habuisset, quem idcirco poeta non Iolaum aut Philoctetem fecit, ne exitus fabulae, iam satis Herculis doloris gemitusque vehementia quasi oneratus, alia, tantae magnitudinis persona, cuius usus plane nullus esset, inducta, ad totius operis concinnitatem fieret gravior.

Quid igitur? cum haec omnia bene multaque praeclarissime instituta sint: nonne mireris, quod Schlegelius institutionem fabulae suspectam parumque Sophoclea arte dignam existimaverit? Non plane, quid ei aliisque viris doctis in hoc fraudem fecerit, assequeremur, nisi apud eum, quasi praetereundo significata, illa legeremus: „In Trachiniis, quam fabulam nos, ex nostrarum inscriptionum ratione, *Herculem moribundum* inscripsissemus, pulchre Deianira muliebris levitatis poenas morte solvit; Herculis autem dolores digne expressi sunt". 1) Nimirum in Herculis morte et Schlegelius et alii viri docti huius fabulae summam positam esse opinabantur 2), quod tantum abest, ut a poeta usquam indicatum sit, ut clarissime aliud quid ei propositum fuisse ex tota fabulae dispositione efficiatur. Sed, quid multa? nos Sophoclem in ea amoris et

1) Ib. In l. l. p. 177.

2) Haec plerorumque, qui de hac fabula scripserunt, erat opinio. cf. Scaliger. poet. lib. III. c. 97. Corneille in praefat. ad Cleopatram fab. Brumoy. l. l. tom. IV. 1. Laharpe Lycée tom. II. p. 53. Groddeckius l. l. praefat. p. XXVII.

vim maximam ostendisse, et gravissimas, quae eo fiant, calamitates exposuisse arbitramur, eiusque rei, quam gravia sive in temporibus Sophoclis sive in ipsa fabula argumenta et indicia inveniantur, iam breviter enarrabimus 1). In quo non admodum eorum movemur auctoritate, qui talia ab antiquae tragicae artis rationibus aliena et remota fuisse docent. Etenim, ex quibus suam illi opinionem duxerunt, iidem nobis fontes aperti sunt, ex iisque, ut illis sua, ita nobis nostro haurire modo licet. Primum vero, ut universe de hac re pauca quaedam disseramus, concedent omnes, cum tot quotannis inde ab Thespidis aetate Athenis fabulae docerentur, non potuisse fieri, quin deorum heroumque infelicium casuum terrores tandem et poetis et spectatoribus fere satis expositi esse in scena viderentur. Aeschylei ingenii vi illa et sublimitate opus erat, ut acerbae arti nova semper ex ipsa tristitia sua accedere pulchritudo videretur. Quanquam ne hic quidem vir id potuit assequi, ut suarum fabularum dignitate in Atheniensibus novitatis suaviorisque oblectationis studium exstingueret, suamque severitatem iis prae Euripidea ista mollitie probaret 2). Etenim temporum tunc gravissima fiebat commutatio, frustraque ad luxuriam ruenti civitati Aristophanes Marathoniorum virorum commendare strenuitatem et virtutem

1) Consentire in hoc nobiscum, quod magni facimus, Stolbergius videtur, comes, ipse excellens poeta cf. in Sophoclis vers. eius germanica ante Trachin. Prolog. an Ebert.

2) cf. de hoc plures loci in Aristoph. Rann. fab. supra laudati.

studebat; nec saepe, qua id spe aut fiducia fecerit, intelligimus, ut qui, cum censurae suae turpitudine vitiorum, quae exagitabat, infamiam fere aequipararet: in tali morbo omnem medicinam iam pene desperandam esse non posset non perspicere. Verum novandae tragoediae studii haud leve exemplum Agathonis, Sophoclis aequalis, Florem illam fabulam habemus, in qua personarum nomina nulla vera, sed omnia ficta erant 1). Quam vero cupide sublimem artem ea aetate poetae in domesticae vitae tenuitatem deduxerint, gravissime Euripidearum fabularum pars magna docet, incestuum, amoris perturbationum, domesticae, non modo infelicitatis, sed etiam miseriae plenissima. Ab qua indignitate cum longe Sophoclis refugeret sapientia: tamen eius quoque fabularum ratio ab Aeschyli illa simplicitate et granditate, mirum quantum est diversa. Ac plura quidem, quae huc pertinent, breviter in ea dissertatione commemoravimus, quam de tragicorum graecorum cum Republica civiumque moribus necessitudine his Sophocleis quaestionibus praemissam habemus. Aliam vero Sophoclis atque Aeschyli artis differentiam, et in Aiace fabula et praecipue in Electra examinanda, in eo monstravimus esse positam, quod hic ad ipsarum rerum potissimum et factorum vim tragicam studium appulit exprimendam; ille egregia cum laude etiam in moribus atque ingeniis hominum elaboravit depingendis. Atque hunc ipsum ad locum nostram de

1) Aristot. poet. IX. 7.

Trachiniis disputationem referimus, cui id est propositum, ut Sophoclem in hac fabula tristem vim amoris exposuisse comprobemus.

Ac primum quidem, quantum ipse Sophocles amoribus indulserit, supra diximus; etiam illum laudavimus locum, in quo, senex factus, ille sese felicissimum traditur praedicavisse, quod iam istinc, tanquam a domino agresti ac furioso, profugisset. Quanquam ne haec quidem eius felicitas admodum fuisse stabilis videtur, si verum est, quod Athenaeus refert 1) Sophoclem, gravem aetate, et Theoridem quandam deperiisse et postea Archippae, eiusdem conditionis puellae, tanto captum amore fuisse, ut eam fortunarum suarum magnae partis heredem faceret. Nec male cum his id congruit, quod apud Ciceronem et alios 2) poetam a filiis, quod rem familiarem negligeret ac desipere videretur, in iudicium vocatum esse legimus: quae quidem, coniuncta cum aliis, quae praeterea, in lubrico isto curriculo, accidisse bono homini narrantur, satis graviter, opinor, commovere eum potuerunt, ut de amoris et vi ingenti et variis casibus saepe multumque secum cogitaret. At vero haec nullam in artem eius vim habuerunt? Imo vel plurimam, quantum ego video, haberent, necesse erat, praesertim in tragoediae eo statu, quem modo descripsimus, atque simile aliquid eti-

1) Locos de Sophoclis amoribus supra laudavimus p. 176.

2) cf. praeter Ciceronis De Senect. c. 7. Plutarch. An seni sit ger. Resp. p. 138. et Lucian. Macrobb. 24.

am aliis dramaticis poetis evenisse, quis est, qui nesciat 1)?

Deinde vero, quod etiam gravius est, amorum hac licentia non unus lasciviebat Sophocles; sed omnes Athenae tunc pessimo meretricum studio incredibiliter flagrabant 2). Aspasia enim illa, non ab ingenii acumine et morum suavitate magis, quam a licentiore vivendi genere celebrata, eo tempore non modo mulierum formosarum, ad corrumpendam iuventutem instructarum, multitudinem in urbem invexerat 3); sed, praeter alios viros, civitatis primores 4), etiam Periclem tanto sui ceperat amore, ut eius gratia vir ille magnus tum alia multa turpiter faceret 5), tum ab Aristophane 6) et a Clearcho 7) propter eam totam Graeciam turbasse, bellumque conflasse Peloponnesiacum diceretur. Nonne haec gravia erant et, si qua alia, digna, quae in tragoediam converterentur?

Hoc igitur cum Sophocles, iis, quas enarravimus, commotus causis, constituisset facere: quem aptius adhibere aut virum aut heroem potuit, quam

1) cf. Torquati Tassi Aminta fabula, et, quae de se ipso Goethius narrat, (Aus meinem Leben, Th. III. p. 119.) poetarum ille princeps, in multis Sophoclis mirabiliter similis.

2) Haec morum pestis post bella Persica Athenas invasit. cf. Athen. deipn. p. 533.

3) Ibid. p. 569. 4) Ibid.

5) Ibid. p. 533. cf. 572. 589.

6) Acharnn. v. 524. sqq. cf. Plutarch. Pericl. c. 29.

7) Athen. deipn. p. 589.

Her-

Herculem, qui et plurimas amavisset mulieres et ex Deianirae arte miserrime periisset 1)? Nec tamen poeta virorum solum, sed etiam mulierum ostendere infelicitatem voluit, ex amoro ortam. Quare Deianira primam malorum suorum causam sibi pulchritudinem fuisse suam dicit, itemque postea maxime propterea negat se posse Jolae irasci, quod eam ob pulchritudinem suam et Herculis amorem patria atque libertate videat privatam. Graviter praeterea nuptarum tristem sortem illa describit, quippe quas semper, modo de liberis suis, modo de marito curae aliquae habeant sollicitas. Quae quidem, ut omni tempore ex parte vera sunt: sic eo tunc erant veriora, quo mulierum conditio, maxime post meretrices istas in Graeciam inductas, erat miserior. Nec vero in minimis id Deianira ponit, quod semper Hercules alias praeter se mulieres amaverit; sed huius licentiae ei se facile dedisse veniam, quoniam bene sciat, amoris vim esse inexpugnabilem; verum tamen id videri sibi acerbius, si iam cum Jole cogeretur eadem in domo vivere, illamque, iuvenem, videre ab marito sibi antepositam. In his igitur et Deianirae et Jolae ab amore infelicitatem expressam videmus; praeterea vero pluribus in lo-

1) Quid, si plura in nostra fabula Sophocles maxime in Periclis amores illos dixerit? Mirabilia et comoedia potius, quam tragoedia digna talia iis videri solent, qui ex nostris moribus iudicare de antiquis consueverunt. Sed cogitandum est, illos poetas suas uni urbi conscripsisse fabulas, et sane multa exponi cum tragica severitate possunt, quae aptissime suo modo comoedia perstrinxerit. In hac autem quaestione gravissimum id habemus, quod Plutarchus (Pericl. c. 24.) Aspasiam in comoediis saepe et Omphalem et Junonem et Deianiram vocatam esse refert.

cis egregie huius affectus vis indomita et perniciosa declaratur; quandoquidem primum Herculem, amore stimulatum, Iolae pervertisse patriam audimus; deinde vero chorus immodicum Veneris in deos hominesque imperium canit, idemque postea disertis verbis malorum in hac fabula expositorum omnium auctorem Venerem esse dicit 1):

Saevis ab hostibus
Tanta nunquam claro
Herculi clades fuit
Irrogata; heu nigro
Tincta sanguine hasta,
Nimis heu praecipiti impetu
Celsa victa Oechalia,
Adduxisti nympham!
Operam hic tacite Cypria praestitit,
Harum Venus est auctor cladium.

Nec vero Sophocles, postquam mulierum et Deianirae infelicitatem monstravit, minus clare Herculis miserias exposuit, ex amore procreatas. Post Hylli enim tristissimae patris calamitatis enarrationem, ipsum illum ostendit spectatoribus, tantis cruciatum doloribus, quorum, praeter mortem, nullum esset remedium.

Sed haec fabula, cum multis nominibus summa laude sit dignissima: duplicem tamen peritis lectoribus dubitationem moverit, tam gravem utramque, quae transiri silentio nullo modo possit. Nam pri-

1) v. 846. sqq. cf. 895. sqq.

mum ex eo, quod in vetustis narrationibus Deianira peregre sacra facienti Herculi tunicam illam misisse ferebatur venenatam: sua sponte huius fabulae quasi duae partes exstiterunt; in quarum altera sola Deianira, in altera, mortua illa, solus Hercules spectatoribus proponeretur. Deinde vero, etiamsi calamitates ex amore ortae optime in ea sint expositae; perturbationes agitationesque animi illae, quae effici amore solent maximeque convenire tragoediae putantur, in ea nullae inveniuntur. Ac prius quidem istud incommodum omnes intelligunt Sophoclem vix potuisse evitare, siquidem Graeci poetae in tragoediis suis componendis non fere recentiorum illa utebantur libertate, qua ex aliis locis subito in alia nos auferunt, vel remotissima; alterum vero istud, ut ponamus id quoque esse incommodum, si voluisset, nullo negotio effugisset: violentam enim Deianiram facere potuisset, amore, suspicione, odio furentem 1), quales et in antiquis et in recentioribus tragoediis habemus plurimas, propter ipsam perturbationum illarum naturam, variam, concitatam, splendidam, spectatoribus fere maxime probatas. Hanc igitur rationem cur Sophocles non secutus sit, iam quaestio oritur, quam non invenio, quomodo ii queant expedire, qui eum summam fabulae in Herculis morte sumunt posuisse. Nam, si eum novitatis studio quodam, ut ne omnes, quarum amores proponeren-

1) Talem Deianiram nobis Herculis Oetaei insipidus auctor finxit, in multis fortasse Euripidis secutus exemplum; quanquam non propterea hunc illius ineptiarum reum fecerim.

tur, furerent mulieres, tam mitem fecisse Deianiram dicant: ego novitatis studium, certo destitutum consilio, in magno illo poeta non agnosco. Sin autem propterea Sophoclem hanc ingressum esse viam contendant, quod nollet, mulieris vehementia et furoribus praemissis, Herculis dolorum et lamentationum vim debilitari: equidem hoc nego fabulae nostrae dispositione probari. Sed, ne longus sim in iis enumerandis, quae mihi non videantur verisimilia: iam licebit mihi ex iis, quae supra disputavi, meam de hac re in medium proferre sententiam.

Etenim, cum eorum malorum, quae tunc Athenis ex amorum ista oriebantur licentia, non tam mulieres, quam viri culpa tenerentur: Sophocles in Trachiniis non id, quod ad speciem splendidissimum foret, sibi sequendum esse censuit; verum id studuit exprimere, quod vel ab rerum illarum natura verissimum esset, vel ad rationem suam maxime accommodatum. Itaque in Deianirae moribus fingendis sapienter evitavit omnia, quae vehementiae nimiae cuiusdam sive iniustitiae sive alius vitii gravioris suspicionem possent movere, mulieremque tam bonam tamque virtute omni excellentem fecit, ut tum ipse hac fabula suam istam quodammodo expiare voluisse licentiam videatur, tum vero non possit dubitari, quin tantum Deianirae suae studium excitaverit, ut Athenienses, quales novimus eos, Medearum et Phaedrarum amores illos furentes non fere desiderarent. Atque miserationem inde ab primis fabulae versibus illis reginae conciliavit Sophocles, in

quibus haec in universum quidem recte illud dicit enuntiatum esse, mortalium ante diem supremum neminem nec beatum nec miserum posse praedicari; se vero iam nunc certissime se infelicem esse intelligere 1). Me quidem haec semper mirabiliter movent; siquidem gemitus ille est, sane acerbus! post longam de ipsius tristi sorte cogitationem, infelicis mulieris alto de corde petitus: neque unquam Deianirae ego querelas illas omnesque sermones possum legere, quin de Goethii nostri Iphigenia cogitem, virgine, qua nullius populi ars tragica aliam ullam produxit, a pietate erga deos, a patriae suorumque amore, ab humanitate, animique et magnitudine et sinceritate praestantiorem. Tam generosam in fraude omni et mendacio contemnendo virtutem, tamque sublimem, ipsa simplicitate sua, in divina veritatis vi fiduciam prope dicam recentiorem tantum exprimere potuisse tragoediam 2); sed in reliquis Sophocles suam talem conformavit Deianiram, quae mihi quidem quasi natu maior aliqua, vitaeque suae aerumnis magis mitigata, Iphigeniae soror esse

1) Dubito, quin haec, quae in exordio Deianira deplorat, mala satis grav a iis videantur, qui ex nostro sentiendi modo ea aestimaverint. Etenim haec pene omnia ad externam vitae conditionem pertinent; nos vero, quae in tragoedia, ut magna, proponantur, mala, tantum ea digna habemus, quae ex cogitationum aliqua tristitia atque ex animi dissidio quodam et angore oriuntur.

2) Nimirum ea in conditione de fraude aliqua facienda veteres consentiebant fere cum Cicerone, haec praecipienti: „Si qua fortuna acciderit, ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus eorum aut de capite agatur, aut fama: declinandum est de via, modo ne summa turpitudo sequatur: est enim, quatenus amicitiae dari venia possit." (de amicit.)

videatur. Admirabili enim cum arte ille eius tum erga omnes singularem humanitatem, tum erga maritum amorem, desiderii plenissimum et raram sane indulgentiam expressit; etiam pudorem et verecundiam muliebrem in ea significavit suavissime; postea vero quam infelix mulier artem illam suam, ad quam, magno ipsi instante periculo, confugit paulo inconsideratius, tristissimum habuisse eventum comperit: tantam ei animi tribuit magnitudinem, ut superstes esse marito nollet, sed facinoris, quod commisisset invita, voluntaria morte poenas solveret 1).

At vero, opposuerint adversarii, in his, praeclare et inventis et elaboratis, egregiam Sophoclis morum lenitatem et, quod unum gravissimum est, praecipuum mulierum studium cognoscimus, scimusque omnes, quantam vel in nobis omnibus, vel in poetis tempora et studia vim habeant: ut, quibus sive cogitationibus sive sensibus maxime ipsi affecti sint, iis plurimum in fabulis suis, si quas forte tractent, conformandis tribuant. Omnino vero benignitatis Sophoclis in hac scribenda fabula, eximiae cuiusdam in ipsa documenta exstant plurima: veluti nuntius ille ex populo, homo optimus, et Lichas, cuius partes, cum, propter ipsam levitatem suam, arbitrio poetae permissae essent, ab eo factae sunt

1) cf. in Deianirae sermonibus loci ab humanitate morumque lenitate praeclarissimi v. 143. sqq. 294. sqq. 321. sq. 330. sqq. 437. sqq. 491. sqq. et in mortis eius enarratione praecipue v. 907. sqq. Ac de eius erga Herculem amore et indulgentia v. 176. sqq. 201. sqq. 233. sq. 460. sqq. 544 sq. modestiam vero muliebrem egregie exprimunt vv. 631 sqq.

comitatis officiosaeque erga Herculem et Deianiram benevolentiae plenissimae. Itemque Sophocles iuvenilem Hylli animum ad irascendum quidem facilem fecit; sed postea et in matris morte dolorem eius, et in ea apud patrem, iratissimum, defendenda bonitatem et constantiam et pietatem iuvenis ostendit praestantissimam.

Vera sunt haec omnia, neque nos ignoramus, ab ipsis docti poetis, iis accidere nonnunquam, ut, quod, aggressi ad fabulam aliquam scribendam, propositum habuerint, consilium, id postea, aut ob unius alicuius personae studium quoddam eximium subortum, aut ob ipsorum sentiendi rationem immutatam, in toto poemate suo parum constanter persequantur 1). Verum tamen in nostra fabula, si Sophocles, id quod volunt illi, ab Herculis morte exponenda, natura ductus sua, ad Deianirae partes aberrasset, insigni arte exornandas: certe posteriorem partem fabulae sic eum oportuisset instruere, ut, quantum in priore heroi detraxisset studii, tantum vel plus etiam in hac ei restitueret. Quod tantum abest, ut voluerit Sophocles, ut consilio ab Herculis studio nimio commovendo abstinuisse et cavisse videatur. Nam primum, cum Deianiram maxime omnes misereamur atque singulariter ei faveamus: de illo, quae in fabulae initio audimus, non sunt eiusmo-

1) Illud in praeclara tragoedia sua, Götz von Berlichingen, sibi evenisse Goethius narrat; (Dichtung und Wahrheit) hoc vero in splendidissimo poemate, Don Karlos, suas rationes turbasse Schillerus profitetur. (Kleine pros. Schriften. Th. I. p. 163. sqq.)

di, ut voluntate eum aliqua eximia amplectamur. Deinde vero in acerrimis Herculis doloribus, quos Hyllus describit, horrore ingenti potius, quam miseratione commovemur, cuius quidem excitandae, quantus Sophocles artifex fuerit, ex aliis eius fabulis satis compertum habemus. Neque crudele istud supplicium, quo iratus heros Licham affecisse narratur, gratiam ei cuiusquam conciliaverit: ut manifestum sit, in priore parte fabulae id egisse Sophoclem, ut omne studium nostrum omnemque benevolentiam ad solam Deianiram suam converteret.

Posteriorem vero fabulae partem, quae pene omnis in Herculis cum Hyllo sermonibus vertitur, poeta, ne destituta spectatorum studiis esset, sic instituit, ut etiam Herculis fortitudinis illius et calamitatis inauditae sive admiratio sive miseratio aliqua commoveretur. Etenim, allatus in scenam, ille primum cruciatuum suorum vim intolerabilem deplorat acerbeque, quod, postquam tot pro Graeciae salute pericula subierit, invictus, iam fraudulenta uxoris arte miserrime pereat, conqueritur. Deinde Hyllum adducere matrem iubet, ut scelesti facinoris meritas ab ea poenas sumat; sed ubi, per illum doctus, et Deianirae innocentiam et malorum suorum naturam cognovit, desperatam: dolorem suum comprimit, magnaque cum animi constantia, quae iam velit fieri, Hyllo declarat. In pluribus autem similis Aiacis, sicuti ille, verborum parcus est, neque, postquam Alcmenem, matrem, liberosque suos

non esse Trachine comperit 1), incassum hoc lamentatur, sed ad alia se convertit, graviora. Quippe concremari se in Oeta monte, sine lacrymis et luctu, iubet; illud enim solum eorum, quibus conficiatur, malorum esse remedium. Cedit tamen saltem in eo filio, enixe id roganti, ut rogus non ab ipso, sed ab aliis et exstruatur et accendatur.

In his primum quidem id nos oportet observare, quod Herculis dolores illi acerbissimi quidem sunt; sed minus nos vel propterea commovent, quod in eos ille non ex magno aliquo et laudabili conatu, sed levitate sua et culpa incidit, vel etiam propterea, quod nullam neque humanitatis neque benevolentiae admistam significationem habent. Quorum cum prius illud sic vetustis narrationibus esset traditum: hoc posterius est ad Sophoclis consilium referendum. Atque sic putabimus eum rem acturum fuisse, si Herculis sibi mortem proposuisset illustrandam? Imo ne moritur quidem in fabula Hercules, neque rogus eius e longinquo monstratur exstructus, neque ipse heros, post mortem istam miseram, divinos honores, quos inventurus esset, memorat, neque hoc alio modo, sive per oracula, sive per deum aliquem nobis significatur; verum haec pars fabulae omnis est ita adornata, ut clarissime intelligamus Sophoclem in ea maximum illum heroem monstrare voluisse, amoris vi profligatum. Cum vero tanta eius et magnitudo esset et in ho-

1) Alcmene et liberi Herculis in hoc loco ita memorantur, ut in Antigonae v. 1288. Megareus.

minibus gloria: bene Sophocles cognovit cavendum esse, ne, aucto Herculis studio, Deianirae partes debiliores fierent. Quanquam ipsa illa cautione eius factum est, ut nobis quidem, recentioribus, haec pars fabulae minus placeat et frigere videatur. Hercules enim ita ad suas res constituendas animum attentum habet, ut Deianirae excusationem illam tandem accipiat quidem, sed benevolentiae erga eam aut miserationis signum, quod velimus, ne levissimum quidem edat. Neque vitam, ut Aiax, cum dolore aliquo relinquit, sed tam constantem se exhibet, ut nos quoque reddat duriores. Verum haec ex nostra sentiendi ratione iudicavimus, cui neque extrema illa admodum accommodata sunt, in quibus Hercules filium reluctantem, ut, se mortuo, ipse Iolem uxorem ducat, iureiurando obstringit. Nimirum hoc poëta de Dorum et Heraclidarum origine fabulis, quae tunc ferebantur, dandum esse censuit, idque aequalibus suis maximopere, opinor, probavit. Nec vero dubium est, quin omnis haec pars fabulae Athenienses aliter atque nos affecerit. Primum enim Hercules heros erat unus omnium et celeberrimus et de tota Graecia, mirabilibus laboribus suis, meritissimus. Deinde vero, quae nos legimus tranquillius, ea illorum oculis et sensibus erant subiecta; neque solum herois summi lamentationes illae, sed etiam Hylli, matre optima modo orbati, patrisque tum calamitatibus tum iussis graviter affecti, tristitia non poterant non iis miserationem commovere maximam.

Verum gravissimam in hac fabulae parte Herculis illam oraculorum interpretationem habemus, quam quidem, quoniam et impeditior nonnullis visa est, et ad totam fabulae institutionem pertinet, iam examinabimus paulo accuratius.

Etenim, cum poeta, Herculis et Deianirae exemplo, amoris vim pestiferam vellet monstrare; ex more suo, his quoque casibus, quasi fundamenta, subiecit deorum monita et oracula. Quae quidem, quot sint in hac fabula 1), optime ipsius Herculis illa interpretatio significat, quippe in qua, cum aperte id ageret Sophocles, ut oraculorum omnium et consensum et veritatem civibus suis comprobaret, non possimus sumere, non esse omnia commemorata. Hercules autem unum, antiquius, sibi ab Jove, patre, dicit datum esse vaticinium; alterum, recentius, ab quercu patria accepit, Dodonaea 2). Quemadmodum vero Sophocles in omnibus suis fabulis, ad quae potissimum advertere spectatorum animos vellet, ea, certis interpositis intervallis, saepius repetita habet: ita etiam in nostrae pluribus locis illorum oraculorum mentionem fecit; leviorem nonnunquam ac talem, quae viros doctos in diversas sententias traheret, illique Herculis interpretationi obscuritatem quandam affundere videretur molestam.

1) Groddeckius vir celeberr. (ad Trachinn. v. 827.), improbata Erfurdtii de his oraculis sententia, parum accurata, (cf. eius adnot. ad v. 827.) praeter alia plura, quae non probaverim, in illo loco tertium aliquod significari oraculum, Delphicum, statuit, quod ego ab hac fabula alienum habeo.

2) v. 1161. sqq.

Nos vero, ut haec omnia clara et perspicua fiant, primum id velimus teneri, quod in antiquiore illo oraculo nihil Herculi, ut videtur, praedictum erat, nisi eum a vivo nemine, sed a mortuo esse periturum, idque effectum Nessi, mortui, venenato sanguine videmus. In recentiore autem vaticinio, Dodonaeo, heroi, quo laborum suorum finem inventurus esset, tempus indicatum erat, atque id quoque evenisse ipse nos docet Hercules. Hoc autem oraculum, ut fortasse in alios, ita in Trachinios emanaverat; siquidem haud ambiguam mentionem eius chorus iniicit, qui duodecimum annum Herculi allaturum esse requietem canit 1): ad idque unum omnes in hac fabula loci spectant; antiquius enim illud si aut Deianirae aut choro notum fuisset, vix illa marito tunicam misisset, Nessi sanguine tinctam. Atque singulorum quidem mensium, qui in hac fabula memorantur, rationem sic explanandam puto. Hercules labores, ab Eurystheo ipsi impositos illos, anni decimi mense fere decimo omnes perfecerat 2). Quo fere tempore, reversus domum, Iphitum interemit insidiis, eiusque caedis Jupiter eas ab filio poenas sumsit, ut annum eum Omphalae, Lydiae mulieri, servire cogeret 3); Deianira autem, tunc expulsa patria, Trachinem se contulit ibique degit 4). Itaque in nostra fabula illa propterea se timere tam vehementer dicit, quod Hercules, istud ingrediens iter, tredecim mensium ipsi tempus constituerit, quo praeterito, si non rediisset, mortuum eum crede-

1) v. 825. sqq. 2) v. 36. sq. 3) v. 275. sqq. cf. v. 69. sq. 4) v. 38.

ret 1). In quibus, ne qua exoriri ambiguitas posset, disertis verbis paulo post poeta haec Herculem ex Dodonaeo didicisse oraculo addidit 2). Atque haec quidem omnia per se tam clara sunt, ut non egeant acuta demonstratione; unus autem, qui reliquus est, ille in virginum cantione locus 3), in quo se per duodecim menses exspectasse Herculis reditum dicunt, minime rationes nostras perturbat. Imo istud, quod in eo est, *panta*, Herculem ipso decimo tertio post profectionem suam mense advenisse Trachinem significat, quod egregie et cum primo illo, quem laudavimus, loco 4) et cum omni nostra horum oraculorum explicatione congruit.

Sed, si haec satis probabilia sunt: eam, ad quam nunc progredior, disputationis meae partem incertiorem esse facile intelligo. Nimirum de tempore, quo fere haec fabula scripta esse possit, suspiciones quasdam vel coniecturas proferre animus est; quae, si minus probatae viris doctis fuerint, eo, puto, mihi condonabuntur facilius, quo hanc graecae tragoediae cognitionis nostrae partem omnes sciunt adhuc esse incultiorem. Ac primum quidem ipsum illud amoris miseriarum exponendarum consilium, quod poetam secutum esse in hac fabula dico, mihi quidem, ut tunc in Graecia mulierum conditio erat, non iuvenis, sed provectioris et mitioris aetate viri esse videtur, qui quidem, multa vel expertus ipse, vel aliorum doctus exem-

1) v. 165. sqq. cf. 44. sq. 2) v. 172. sq.
3) v. 651. 4) v. 827.

plis, iam gravius cogitaret de affectu eo, quo ipse aliquando turbatus fuisset vehementius. Deinde vero eandem aetatem, ni fallor, omnis fabulae institutio significat, quippe in qua, cum moderatissima mulier re vera primas obtineat, Herculis, summi herois, partes sic adornatas videamus, ut splendoris atque magnificentiae, quantum possent, minimum haberent. Quid vero de lenitate illa atque humanitate dicam, eximia, qua poeta non solum in Deianirae, sed etiam in Lichae moribus usus est conformandis? quid praeterea de eo moneam peritos, quod in Deianirae omni ingenio et natura muliebri exprimendo Sophocles eius sexus non modo cognitionem tam accuratam tamque subtilem, sed eam etiam reverentiam prodidit, quam, illis certe temporibus, haud fere quemquam habuisse iuvenem crediderís? Accedit, quod Deianirae partes tot sententiis aptissimis, ad eius ipsius non minus, quam ad omnium mulierum sortem pertinentibus, distinctae et ornatae sunt, ut in hoc quoque poetae et peritiam et morum depingendorum studium illud agnoscamus, cui ipse, si Plutarcho fidem habemus 1), maxime in postremis suis fabulis se indulsisse solebat dicere. Atque haec quidem, universe disputata, ut verisimillima sunt, ita reprehensione facile carebunt; sed in ancipitem res locum deducitur, cum accuratius, quo potissimum

1) de profectu virt. p. 294. *Sophocles dicere solebat, initio se Aeschyli tumorem, postea acerbitatem et artificiosam dictionem esse imitatum; postremo vero, relicta ea ratione, se id genus artis secutum esse, quod moratissimum esset atque optimum.* cf. Aristot. de poet. VI. 7. sqq.

anno fabula edita esse videatur conamur efficere. Aliquid fortasse inde possis colligere, quod in hac fabula, sicuti in Philoctete, Ol. XCII, 3. edita, Herculem poeta induxit, cui exstruxisse sacellum narratur; sed hoc levius est; nec multo plus ei tribuendum fuerit, quod in Trachiniis, sicuti in Philoctete, atque Oedipo Rege, hexametris ille dactylicis usus est, quos ad ceteras, quae reliquae sunt, fabulas non adhibuit; sed gravius, in hac indiciorum inopia, id videtur, quod in hac fabula, ut in Oedipo Rege, Sophocles praecipue oraculorum veritatem studuit comprobare. Atque Oedipum fabulam post Euripidis Medeam, hoc est, post Ol. LXXXVII, 1. doctam esse ponunt 1); ego vero, ex pestis in ea descriptione illa, eam ad Ol. LXXXVII, 3 aut 4 referendam esse coniiciam 2). Aliam vero fabulam, in qua Veneris vis perniciosa ostenditur, repetitae editionis Hippolytum Euripidis, Ol. LXXXVII, 4. doctam esse constat, in eaque Boeckhius sagaciter postremos versus ad Periclem referendos esse coniecit, eodem anno pesti absumtum 3). Quid igitur? si, vel in oraculis nostrae fabulae cum Oedipo Rege consensum, vel in amoris calamitatibus exponendis Euripidis Medeae et Hippolyti fabularum cum nostra similitudinem considerantes, Trachinias eodem

1) cf. Boeckh. l. l. p. 138.

2) Extremos huius fabulae versus non ego quidem ad Cleonem, quod Hermannus voluit; (cf. Erf. adn. ad Oed. R. v. 1512.) sed, si quid audere liceat, ad Periclem spectare dicam. cf. Plutarch. Pericl. c. 36. sqq.

3) l. l. p. 187.

fere atque illas editam esse tempore ponamus? Imo chori duo versus illi 1):

Terra o Pelasga, quo dolore, quam fero
Carpere luctu, hoc si viro privabere.

forsitan etiam distinctius, si non, quando edita; at, quando fere scripta sit haec fabula, significaverint. Scilicet haec quoque ad summum, in quo tunc Pericles versaretur, vitae periculum haud inepte revocaveris. Neque enim ille, quod Plutarchus tradit 2), acuto, sed lento morbo consumebatur, ut amici eius, in quibus etiam Sophoclem fuisse scimus, fortasse sperarent nonnunquam fore, ut ex eo elaberetur. Cum vero ille Ol. LXXXVII, 4, mense Metageitnione obierit: hanc fabulam, cuius illis in versibus poeta de Periclis vita sollicitudinem suam expressisse videatur, paulo ante hoc tempus, ut quae in Lenaeis doceretur, scriptam esse conieceris 3).

Mirabili quadam infelicitate accidit huic fabulae, ut omnibus fere temporibus inveniret quosdam, qui in ea aliquid vituperarent; Scaligerus enim, pater 4), male eam Trachinias inscriptam esse censuit: „quid enim a mulieribus rogus Herculis? nam Trachiniarum malus casus nullus. Melius igitur Euripides,

1) v. 1114. sq. 2) vit. Pericl. c. 38.

3) Ego ipse, quam haec incerta sit argumentatio, probe video; memorabile est tamen, quod in Hippolyti argumento Euripides hac fabula vicisse, Jophon autem secunda tulisse traditur. Nimirum dixeris Sophoclem filio hanc fabulam commisisse docendam, eamque fuisse ex iis, de quibus in illis mentionem Suidas fecit: *Jophon L fabulas docuit . . . et alias quasdam patris, Sophoclis.*

4) Poet. lib. III. c. 97.

quam

quam Sophocles: Hercules Oetaeus". Scilicet etiam Scaliger in Trachiniis Herculem primas agere opinabatur; in quo si non erravisset, non solum inscriptionem, verum totam fabulae institutionem reprehendere potuisset, ut ineptam. Sed mittimus huius quoque censoris severitatem, atque, memores eius, quod ex plurimis locis didicimus, Sophoclem, si quid faceret, cur id faceret, bene perspectum habuisse, nostram de hac inscriptione sententiam qualemcunque apponimus. Etenim ille, cum in hac fabula Deianiram et Herculem induxisset: vidit utriusque partes tam graves esse, ut eam neque ab illa neque ab hoc posset nominare, quin spectatoribus falsam aliquam de re exspectationem moveret. Nec vero antiqui illi tragici, ut recentiores, ab consilio eo, quod secuti essent, nomina dare suis fabulis consueverant 1); sed, ubi ita res anceps erat, fere ab choro eas appellaverunt 2). Sic in Aeschyli fabulis iis, quae ad nos pervenerunt, plures habemus, in quibus difficile dictu fuerit, quaenam persona primas sustineat, eaeque pene omnes ab choro sunt nominatae, Choëphorae videlicet, et Eumenides et Persae. Alia Supplicum ra-

1) Non opponi nobis, quae in Sophocleis memoratur, *Helenae repetitio* et similia possunt, siquidem his inscriptionibus res exposita, non consilium poetae significatur; liberrime vero poetae in Satyricis egisse videntur inscribendis.

2) Abstinemus nunc a fragmentorum inscriptionibus examinandis: quae res multis nominibus est difficillima. Etenim cum ipsas fabulas non habeamus: neque recte de poetarum rationibus possumus iudicare nec, quae forte ab grammaticis profecta sint, satis clare ubique perspicimus. cf. Valcken. diatr. p. 16. et Jacobs. Nachtr. zu Sulz. Theor. tom. IV. p. 122.

tio est, in qua Danaides supplices, quae chorum componunt, re vera primas agunt. Agamemnoni autem fabulae, in qua hoc rege graviores partes Clytaemnestra habet 1), nomen propterea, ut videtur, poeta ab illo indidit, quod splendidissimum esset, ad totamque illam trilogiam pertineret 2). Ac Septem ad Thebas fabulam, quam Aeschylus vocavit, Euripides a choro Phoenissas inscripsit, eandem ob causam, quod in ea plurium partes sunt gravitate fere pares. Nec mirabuntur, qui Euripidis artem perspectam habent, quod ei hoc inscribendi genus praecipue placuerit; aptissimum est enim iis fabulis, quae, quales sunt eius plurimae, remissa tragicarum legum severitate, propius ad epicam accedunt licentiam. Cum vero eae inscriptiones, ex quibus non plane cognoscamus id, quod spectaturi simus, haud dubie praeferendae iis sint, quae partem tantum rerum, atque eam saepe leviorem significent: fortasse bene fecisset Euripides, si praeter Troades, Phoenissas, Supplices, Bacchas, Heraclidas etiam alias ex suis fabulis ab choro appellasset, veluti Andromachen, in qua huius ipsius partes minime sunt gravissimae. Atque hunc quidem morem earum fabularum, in quibus non una aliqua persona primas ageret, a choris nominandarum etiam comicis probatum fuisse, Aristophanis comoediarum, quae supersunt, plurimae ostendunt.

1) cf. de hoc praeclare disputantem Wilh. v. Humboldt: Aeschylos Agamemnon. p. VI. sqq.

2) Similiter Shakespearius suam illam fabulam Julium Caesarem nominavit.

PHILOCTETES.

De Sophoclis Philoctete fabula, ut, quod diceremus, pene nihil nobis relictum esset, praeter alios viros egregios, Hasselbachius fecit, vir celeberrimus, qui in accurata sua de hac tragoedia disputatione, nuper edita 1), non solum priorum, qui de ea scripserunt, plurimorum iudicia diligenter examinavit, sed apte etiam tum de singularum personarum ingenio et moribus exposuit, tum omnem fabulae institutionem explanavit. Cum vero et in aliis plerisque et in eo ego Hasselbachio assentiar, quod summam fabulae in Herculis illis contineri verbis docet:

Sed, quando humum vastabitis, ne mentibus
Relligio vestris ac deum cura excidat:
Huic cuncta posteriora ducit Juppiter.
Pietas enim cum hominibus haud exstinguitur,
Vivantque moriantur que, ea haud unquam interit.

tamen ea, quae de Sophoclis in hac fabula scribenda consilio disputat, ego magis ad Neoptolemi, quam ad Philoctetae partes accommodata esse dixerim. Etenim in libri sui fine vir doctus haec posuit: „Ut iam ea, in quibus mihi haec omnis verti videatur fabula, paucis comprehendam: ego ostendisse poetam pu-

1) Ueber den Philoktetes des Sophokles von Carl Friedr. Wilh. Hasselbach. Stralsund. 1818.

to, quam fragilis quamque ab erroribus male tuta nostra natura sit, cum, ad humana tantum intenta iura, specie licet quantumvis egregia, deorum voluntatem contemnat: itaque humanarum rerum iustitiam e divino iure esse metiendam; sive erga deos pietatem humanae virtuti omni esse anteponendam" 1). Etenim haec parum in Philocteten convenire ex eo efficitur, quod huius viri non tam omnino virtutem, quam constantiam suspicimus egregiam, idque ipse Hasselbachius concedit, quando Philoctetae erga amicos benevolentiam, patris ac patriae amorem maximum, quin ipsius inhospitalis insulae illius studium eius admirabile summopere nobis probari dicit; in adversarios autem odium eius implacabile, deorumque voluntatis contemtum impium, (de quo ego dissentio ab viro docto), iudicat nullo modo posse laudari 2). Sed Neoptolemum Sophocles cum in tota hac fabula iuvenem optimum fecit, tum in eius virtute, quod etiam Hasselbachius monuit, ipsam fabulae peripetiam posuit. Cum enim, laudis ductus cupiditate, ille Ulyssi, in Philoctete fraude capiendo, se socium adiunxisset: postea quam huius infelicitatem cognovit, adeo rem indignam ducebat, ut Philocteten sic-

1) p. 134. „Denn um nun noch einmal kurz zusammenzufassen, was sich mir als die Idee des Stückes ergeben, so ist es das Mangelhafte, zu Vergehungen Geneigte der menschlichen Natur, so rein, ja so edel sie menschlicherweise in Recht und Pflicht erscheinen mag, ohne Anerkenntniss und Achtung eines göttlichen Willens, das göttliche Unrecht des bloss menschlichen Rechtes, oder Gottesfurcht über alle Menschentugend."

2) p. 26.

uti promiserat, in patriam reducere, summaque Atridarum suscipere odia, quam, Troia capta, gloria frui immortali mallet. Praeclarissima haec esse quis negaverit? sed summam fabulae non constituunt, ad eamque inveniendam equidem aliam ingrediendum esse viam censeo.

Nam in exordio fabulae Ulysses se, iussum ab Atridis, Philocteten exposuisse in hac insula docet, propterea quod exercitus, clamoribus eius turbatus infaustis, neque libationes nec sacra facere potuisset. Quae quidem causa, si de eo, quod ab expeditione Philocteten semoverant, Atridas excusabat quodammodo: ab crudelitatis crimine haudquaquam eos liberabat. Non enim, quod poterant facile, in patriam illum remiserant, sed, omni destitutum auxilio et solatio, in insula deserta fraudulenter reliquerant. Itaque habebat sane Philoctetes, cur vehementer Atridis et Ulyssi irasceretur, parumque ad eius animum placandum id fecit, quod iidem, a quibus eiectus esset, tunc eum ad se studiosissime revocarent. Vidit enim hoc eos non fuisse facturos, nisi gravi necessitate aliqua ad id essent coacti, seque eorum commodis negavit unquam esse inserviturum. Nec tamen ego simpliciter eam pertinaciam virtutis nomine ornaverim, neque id, opinor, Sophocles voluit; verum hoc egit, ut Athenienses Philoctetae, cuius maxime constantiam essent admirati, in fine fabulae eam erga deos pietatem conspicerent, qua deorum voluntati alia omnia posthabenda esse graviter commonerentur.

Quod quo clarius perspiciatur, primum de iis exponam, in quibus poeta admirabilem illius viri constantiam expressit; deinde vero de rerum divinarum in hac fabula ratione dicam.

Atque Philocteten praeter Sophoclem in scenam Aeschylum et Euripidem constat produxisse, ratione, quod ex Dionis Chrysostomi harum fabularum comparatione discimus, ab Sophoclea in pluribus diversa 1). Ex quibus ad nos praecipue id pertinet, quod chorum illi ex Lemniis composuerant, qui in nostra fabula ex nautis constat, cum Ulysse et Neoptolemo Lemnum profectis. Gravissimum hoc habemus: nam cum omnia, quibuscunque afficiamur, mala singulare quoddam ex bonorum hominum solatio et miseratione lenimentum capiant: Sophocles Philoctetae infelicitati eo cumulum addidit, quod insulam illam desertissimam et maxime inhospitalem finxit 2). Praeterea autem Philoctetae exilii illius, quas iam novem annos toleravit, miseriae primum quidem graviter narratione describuntur, deinde vero ipse vir infortunatus ante oculos nostros morbo suo tanta cum vehementia corripitur, ut aliquamdiu sensu omni carens et quasi mortuus in scena iaceat. Nemo est, qui in his non eandem, qua Neoptolemus turbatur, miserationem sentiat; tanta enim Philoctetae mala sunt, ut, etiamsi ignotus

1) cf. Valckenarii diatr. p. 114. sqq. et Hasselb. p. 160. sqq. mihi vero ipse Dion Chrysostomus nunc non ad manum erat.

2) Id e more suo poeta, quo minus quenquam fugeret, pluribus locis significavit. In ipso fab. initio v. 2. et 172. 183. 221. 280. 469. sq. 486. 685. sqq.

homo nullaque clarus virtute esset, non possemus non eum studio aliquo amplecti; Sophocles autem eum tam bonum fecit, tamque erga Neoptolemum et nautas humanum, patriae suae et patris, senis, quo caruisset tam diu, adeo cupidum et amantem, ut ei Atridarum odii acerbitatem illam et in auxilio suo istis negando pertinaciam fere ignoscamus. Quis non concedat hoc voluisse poetam? aut quis non agnoscat plurimis in locis 1) excellentem illam Sophoclis animi lenitatem, qua, cum in sensuum acerbitate et vehementia exprimenda nulli secundus esset, mirabiliter ad ea attraheretur imitanda, quae singulari quadam suavitate et dulcedine spectatorum animos delenirent? Sed leviter profecto is Sophoclis artem perspexisset, qui egregia Philoctetae humanitate exposita nihil eum nisi irae eius asperitatem quasi temperare voluisse crederet: imo in hoc ille id potissimum sequebatur, ut etiam magis, quam in odio suo constans quamque pertinax eiusdem viri animus esset, appareret. Etenim, postquam non in patriam, sed Troiam ad Atridas sibi proficiscendum esse ex Neoptolemo cognovit: hoc omnibus vitae istius suae miseriis sibi dicit esse acerbius, nec vulnus suum foedum vult sanari, et gloriam spernit, quam promittunt ei, immortalem, et patriae patrisque videndi spem omnem abiicit, et, arcu privatus suo, ab feris lacerari, quam de odio suo mavult remittere. Nec

1) v. 234. sqq. 467. sqq. 876. sqq. cf. 531. sqq. in quibus Philoctetes egregie ad commovendos animos miserrimum istud, in quo vixerit tam diu, latibulum longa consuetidine dicit sibi factum esse gratissimum.

vero postea quam ab Neoptolemo arcum recepit, optimi et amicissimi iuvenis hortatione flectitur; sed eum precibus suis commovet, ut, se, quod promiserit dextra data, in patriam reducat; quo non solum hunc quoque gloriae summae spe destituit, sed etiam cum Atridis inimicitias ei gravissimas conflat; quanquam eas non admodum timendas esse dicit, quippe ei sese contra illos socium adfuturum et arcu suo eum facile ab hoc quidem periculo defensurum esse praedicat.

Sufficient haec, puto, de Philoctetae constantia; iam igitur de rerum divinarum in hac fabula ratione pauca quaedam adiicimus. Loci autem, in quibus earum mentio fit, praeter Herculis illa verba, omnes ad tria fere capita possunt referri: in aliis enim Philoctetes, quippe quo adversus Atridas ira eius mitigetur, mala illa divinitus passus esse docetur 1); in aliis Heleni de Troia expugnanda vaticinium memoratur 2); in aliis denique variae et Philoctetae et ceterorum de diis sententiae proferuntur. Ex quibus cum prima illa satis clara sint, iis tantum, quae secunda et tertia fecimus, aliquam afferre explanationem conabimur. In his autem id est gravissimum, quod nusquam Philoctetae reditum ad Graecos iussum esse per deos legimus; sed tantum modo Helenum proxima aestate Troiam captum iri vaticinatum esse audimus, ea quidem addita conditione, si Philoctetes cum Herculis sagittis

1) v. 1300. sqq. cf. 195. sqq.

2) v. 603. sqq. 832. 1305. sqq. cf. 1351. sqq.

Graecorum exercitui sese adiunxisset. Atque vaticinii illius sensus vel ipsis, in quibus id profertur, versibus satis clare exprimitur, vel magis etiam eo modo declaratur, quo pluribus in locis de eo commemoratur, Nam, quod Philoctetes Atridas, non sui miseratione ductos, sed divina aliqua coactos necessitate, Ulyssem et Neoptolemum ad se dicit delegasse, hoc ad id spectat, quod ille suam ab Atridarum causa diu penitus seiunxerat. Itaque in eo potissimum deorum sibi agnoscere iustitiam videtur 1), quod iam illorum expeditionem omnem ad suam, turpiter eiecti viri, opem reduxerint, eorumque ulciscendorum sibi facultatem fecerint exoptatissimam. Eodemque Ulyssis illa cum Neoptolemo disceptatio redit, quippe in qua ille hunc, quod communem Graecorum causam deserat, accuset 2); Neoptolemus autem et in hoc loco fraude Philocteten ad illam adducendum esse negat, neque postea, cum precibus et hortatione virum tentat, aliud quicquam, nisi mala illa non tam Atridis, quam diis tribuenda esse docet, saluteque et gloria proposita, eum conciliare cum Atridis studet, in deos impietatis eum nusquam accusat. Ex quo quis non intelligat, quantum ipsi quoque Neoptolemo, deserenti Graecos, excusationis accedat? Nimirum horum ut commodis inserviret, Philoctetae reducendi in se munus susceperat, iuvenis bonus, ad fraudem faciendam parum natura sua aptus.

1) v. 1025.

2) cf. v. 1229. in quo Ulysses, cum sine Philoctetae sagittis Troia expugnari nequeat, Graecos Neoptolemo bellum illaturos esse minatur.

Quare cum dolose initio Philoctetae se eum domum et in patriam reducturum esse promisisset, postea, cognita viri infelicis pertinacia, ei cum probitate fidem praestare suam, quam cum fraude illorum defendere causam maluit: neque in eo erga deos sibi impie agere videbatur, qui non se reducere Philocteten iussissent, sed tantum Atridis, si illum adiunxissent sibi, proxima aestate Troiam captum iri per Helenum significassent 1). Nec vero, quod gravissimum est, in fine fabulae Hercules Philocteten et Neoptolemum impietatis accusat, sed utrumque, ut ne Atridarum causam deserat, hortatur; postremis autem verbis suis, cum omnino iis pietatem commendet, maxime id eos commonet, ne in Troiae expugnatione deorum obliviscantur, sed tunc quoque moderationem et iustitiam colant, Jovi gratissimam.

Exposita autem de hac parte fabulae mea sententia, reliquum est, ut de singulis quibusdam locis disseram, tum ad res divinas, tum ad totam poematis institutionem pertinentibus.

Primum enim illum locum, 2) in quo Philoctetes, vi tractus, Lemnum insulam, Vulcanique ignem iniuriae sibi factae testes invocat, non ego quidem sic acceperim, tanquam Philoctetes magis

1) Calchantis illud de Troia expugnanda vaticinium (Hom. Jl. II. 300. sqq.) consilio non memoravit Sophocles. Facilius autem Hasselbachius et Philoctetae et Neoptolemi in fatis contemnendis levitatem, nescio quam, concedit. p. 105.

2) v. 972. sqq.

veteres Naturae deos, quam Jovem honoraverit 1). Scilicet ille tunc Vulcani quasi supplex erat, nec quisquam nescit veteres, ad quorum deorum templa et altaria confugissent, eorum, si vim paterentur, auxilium implorasse. Neque huic rationi ea, quae Ulysses de summo Jovis imperio dicit, repugnant. Videbantur enim vera esse et Ulyssis rebus apta erant; Philoctetes autem, quam pie deos colat, vel in aliis locis, vel maxime in eo probat, ubi, monitus ab Hercule, ad eorum iussa facienda se paratissimum exhibet. Gravior his ille est locus, in quo Philoctetes, Neoptolemi fraude ad summas miserias redactus iraque vehementissima agitatus, neque, si Jupiter in se fulmina sua demittat, se Ilium profecturum esse clamat. Sed haec, quod ex omni illo loco apparet, prope furentis sunt, ac potius voluntatem viri maxime obfirmatam, quam in deos impietatem significant; ab quo crimine, si qui gravius urgere ista velit, facile et similium locorum exemplo et ipso, de quo iam diximus, fabulae exitu defendatur.

Non veremur, ne quis in iis, quae hactenus disputavimus, immoderationem nostram vel speciosarum quarundam opinionum cupiditatem reprehendat; saltem, sicubi erraverimus, non ultro nos impedivisse difficultatibus dicemur, sed lapsi in iis erimus, quae ex omni instituto nostro non poteramus effugere. Jam vero aliam aggredimur quaestionem

1) cf. Hasselb. p. 124. sq.

et natura sua incertiorem, neque in re nostra utique necessariam; sed ad omnem veterem tragoediam aestimandam, quantum ego sentio, tam gravem, ut periculi facti, etiam si minus mea viris doctis probaverim, veniam me sperem facile esse impetraturum.

Etenim, quoties nostram legi fabulam, toties tantam eius mihi cum Aeschyli Prometheo deprehendere visus sum similitudinem, ut Sophoclem hunc poetam non quidem expressisse, sed aemulatum esse quodammodo suspicarer. Mirum hoc iis videbitur, qui Aeschylum illam fabulam universe contra tyrannos scripsisse putant 1); sed equidem admodum dubito, quin hoc ille voluerit. Neque magis de consilio, quod Aeschylus in Prometheo secutus sit, aliis viris doctis, Jacobsio, Schlegelio, Blümnero 2) assentiar, ut qui potius antiquae Hesiodi narrationi praeclarissimam interpretationem attulisse, quam Aeschyli illius fabulae ex artis atque temporum poetae rationibus recte definivisse significationem videantur; verum multo magis equidem Passovii sententiam probo, haec scribentis 3): „In Prometheo vincto — novis dominis, potestatem suam contra leges nactis et, ut fieri solet ab homi-

1) cf. Brumoei l. l. tom 1. p. 298. et Schützii, senis venerabilis, Aesch. tragg. vol. I. p. 178. sqq. Infelicissime autem hanc fabulam iudicavit Laharpius l. l. tom. c. p. 19.

2) cf. Jacobs. in Nachtr. zu Sulz. Theor. tom. III. Schlegel. l. l. tom. 1. p. 165. sqq. Blümner. über d. Idee d. Schicksals in d. Tragoedien d. Aeschylos. p. 6. sqq.

3) In dissert. de Aeschyli Persis supra laudatae p. 15.

nibus novis, arroganter exercentibus apertum bellum indictum est 1). Hinc Prometheum ipsum Areopagitis ceterisque antiquae disciplinae defensoribus comparaverimus, Jovem Pericli, (et ipsi Olympio 2),) totique Demagogorum turbae, Mercurium Sycophanthis, quorum abhinc ingens proventus, homines, a Prometheo beneficiis cumulatos, a Jove oppressos, populo Atheniensi." Certe haec interpretatio Schlegeliana illa pulchritudine et sublimitate longe est inferior, atque ita ad civitatis Atticae accommodata angustias, ut haud dubie multi ei illam sint praeposituri. Habeant hoc illi sibi; criticam vero qui profitentur, non, quae ad speciem pulcherrima esse videantur, sed, quae ad veritatem maxime probabilia sint, debent quaerere, nosque iam supra universe de Aeschyli arte, quid sentiamus, ita exposuimus, ut in hoc loco tantum ex ipsius Promethei fabulae natura nobis putemus demonstrandum esse, cur hanc simpliciorem et politicam rationem splendida illa et philosophica habeamus veriorem.

Etenim primum vix ullus in ea locus est, quem Aeschylus eo modo, qui illis placuit, ad generis humani conditionem retulisse videatur; insunt vero quam plurimi, in quibus novi tyranni, eorumque mores sic describuntur, ut nequeat dubitari, quin iis imprimis Periclem poeta notaverit 3). Deinde vero omnes

1) „v. 35. 950. 963. 968."

2) „Plutarch. Pericl. 8. 39. p. 156. B. 175. C."

3) cf. praeter locos a Passovio laudatos v. 149. sqq. 310. 389. 403. sqq. 756. 762.

Promethei partes sunt ita adornatae, ut Athenienses, tum, quales gratias novi tyranni referre adiutoribus suis solerent, tum, qua constantia iis resistendum esset, clare cognoscérent. Difficilis, cum in universum hoc nullo negotio perspiciatur, singulorum explicatio est; rectissimeque in his possit dici, saepe non vera esse, quae maxime sint verisimilia. Sed, siquidem ad hanc Antiquitatis partem praeter coniecturam nulla via patet: non praetereundum id putamus, quod Periclem plurium bonorum virorum, in Solonis institutis evertendis, usum esse ope et consiliis constat 1). Quos, quantum fefellisset, postea comparuit, cum artibus ille suis summam rerum omnium potestatem penes se unum redegisset 2). Neque deerant, qui eum ingratissimi erga socios consiliorum animi, quin etiam nefariae crudelitatis accusarent 3). In amoribus autem suis Pericles, ut vidimus, tam turpiter multa fecit, ut, si eo progredi audaciae liceat, ad hoc Aeschylum Jus illas instituisse partes dicas. Plura ex his post huius fabulae editionem evenisse concedimus; verum alia similia, quae casu nobis non sunt tradita, sine dubio ante eam fecerat Pericles, quae Aeschylo, gravi illi et strenuo veteris disciplinae defensori, largam eius notandi copiam praeberent. Unicum vero, eorum malorum

1) cf. cum Promethei fab. v. 216. sqq. Plutarch. vit. Pericl. c. 7. et 9.

2) cf. cum Prom. v. 50. sq. v. 149. sqq. 402. sqq. Plutarch. ibid. c. 9. et Thucyd. I. 139. II. 65.

3) cf. cum Prom. v. 221. sqq. 437. sqq. Plutarch. ibid. c. 4. 16. 10.

remedium Aeschylus in hoc videbat positum esse, ut viri boni de recuperanda Reipublicae salute non desperarent, sed, quantum maxime possent, unitis viribus, novo tyranno illi resisterent. Itaque constantiae imperterritae exemplum iis Prometheum proposuit, qui, initio coniunctus cum novo deorum rege, postquam eum hominibus parare interitum vidit, contra voluntatem eius, tam studiose hos adiuvit, ut illius crudelissimam in se iram et saevitiam excitaret. Nec vero temere Aeschylus, sed ideo, ut maius eius studium moveret, Prometheum erga homines et bonos omnes fecit benevolentissimum; neque pertinaciam eius consilio destitutam certo finxit, sed hanc firmissimam ei spem tribuit, fore aliquando, ut novus tyrannus ad se, veterem deum, cogeretur refugere 1). In quo non praetermittendum est, quod Prometheus de novi tyranni futuro casu praedictiones suas eo confirmat, quod duos iam viderit ex potentia summa eiectos 2). Uranum ille et Saturnum dixit; Athenienses autem tot viros, eminentes potestate, in exilium egerant, ut non sit, quod, ambigua coniectura, Aeschylum his Hippiam et Themistoclem sumamus significasse; quanquam eorum virorum principatum et ipse ille viderat et haud dubie simillimum habebat novo isti Pericleo.

1) v. 167. sqq. 508. sqq. 755. sqq. 913. sqq. 939. sq.

2) v. 955. sqq. Nescio, quo modo ii, qui hac fabula generis humani conditionem expressam esse docent, has Promethei praedictiones interpretentur, et saepissime repetitas et tam graves, ut iis non modo Titanis illa constantia, sed tota fabula nitatur. Ex nostra ratione, quem illae sensum habeant, facile omnes intelligunt.

Nemo non videt, quam bene cum hac illius fabulae explicatione ceterae, quae in ea inducuntur, personae congruant. Nimirum Robore et Mercurio poeta studiosos novae tyrannidis asseclas, Vulcano et Oceano eos expressisse homines videtur, qui, numero plurimi, bonae rei favent quidem, sed temporibus et vi cedendum putant. Graviores autem chori partes sunt, ex Oceanitidibus, puellis, compositi. Praetereo id, quod ad Prometheum visendum fere invito Oceano, patre, advolant; hoc enim non minus novae rei cognoscendae studio, quam benevolentiae possit tribui; sed gravius id habeo, quod hae virgines, quamvis pro natura sua, muliebri, ad prudentiam lenioresque mores Prometheum hortentur, tamen apertius quam reliquae istae huius fabulae personae Jovis crudelitatem improbant. Maximi autem momenti id facio, quod in fine fabulae, de periculo suo monitae ab Mercurio, tantam animi constantiam et fortitudinem ostendunt, ut cum Prometheo durissima quaeque perpeti, quam turpiter deserere amicum malint. Haud facile quisquam sibi persuaserit, non vidisse poetam, quantum ea puellarum virtute ipsius Promethei minui constantia videretur; verum Aeschylus, quo maiora assequeretur, consilio levius istud vitium, quod posset dici, admittendum esse censuit. Cum enim fabula sua cives, ut fortiter novae Periclis tyrannidi resisterent, exhortari vellet: non solum Promethei exemplo Areopagitis aliisque civitatis primoribus, qua uti constantia deberent, demonstravit; sed chorum, quem ab Aristotele populo vi-

vidimus comparari, ea mente et ex puellis composuit, et tam constantem fecit, ut eum intuentes reliqui cives, quomodo in simili rerum conditione sibi agendum esset, intelligerent. 1).

Jam vero, postquam de Aeschyli Prometheo meam opinionem exposui, reliquum est, ut doceam, quemadmodum Sophoclem eam imitatum esse dicam. Ac primum quidem de eo est monendum, quod forsitan probabilius videatur, ipsam inscriptionum cogitantibus similitudinem, nostrum poetam ad illius Philocteten, quam ad Prometheum suam composuisse fabulam. Speciosum hoc est quidem, nec vero, cum illa Aeschyli tragoedia non ad nos pervenerit, demonstrari ullo modo potest. Meminisse tamen id nos oportet, quod etiam in Choëphoris et Electra, eiusdem argumenti fabulis, utrumque poetam aliam ingressum esse rationem vidimus. Neque id negligendum fuerit, quod vel ex chori his in fabulis diversa institutione, supra commemorata, poetae in iis componendis diversum secuti esse consilium videantur. Sed, missa hac coniiciendi vel divinandi ambiguitate, iam ad Aeschyli Promethei

1) Qui eam artis ad Rempublicam accommodationem negare solent, tanquam a poeseos natura alienam: iis, praeter alia, quae pluribus in locis de hac re disputavimus, cum Aeschylo Vondelium commendamus comparandum, excellentem in Batavis tragicum, cuius e fabulis huc praecipue Palamedes pertinet, in qua Joannis Barneveldtii casus expressus est. Nimirum dramaticae artis ubique fere similia, quin eadem invenimus initia. Quo vero magis tempora, in quae incidit illa, commota sunt, hoc ipsa ad ea et ad res publicas accedere propius solet; quoque paucioribus scribuntur fabulae, veluti graecae solis Atheniensibus componebantur, eo magis singula omnia, quaecunque hos commoverunt aliquo modo, et nonnunquam leviora, in iis exprimuntur.

cum Sophoclis Philoctete similitudinem nos convertimus, certe iudicatu faciliorem. Primum enim in iis, qui in his fabulis primas obtinent, in Prometheo et Philoctete, multa invénimus simillima. Quandoquidem, ut Prometheus maxime de Jove meritus erat, ita Philoctetes benevole se cum Atridis coniunxerat, ab Troianis et Paride poenas exacturis. Atque calamitates utriusque fere pares sunt. In terra enim deserta misere uterque degit, Prometheus rupi affixus, Philoctetes doloribus ex pede saucio cruciatus. Quod vero Prometheus, aliter ac Philoctetes, rarius de doloribus suis, sed plerumque maxime de vinculorum suorum indignitate conqueritur 1), seque cum Jove, si iniuriae eius sibi poenas dederit, in gratiam rediturum esse dicit: hoc ad diversam, quam uterque poeta sequebatur, rationem pertinet, de qua iam exposuimus. Praeterea vero odii in adversarios eadem Philoctetae ac Promethei est acerbitas, nec sane ille constantia hoc est inferior; sed tantum non eum superat: neque enim futurae salutis spe ulla erigitur, neque immortalis est, et perire miserrime, quam, praemiis commodisque summis propositis, reconciliari cum illis mavult. Ad haec etiam singulorum locorum plurium in utraque fabula similitudo referri possit 2), neque male Promethei humanitatem

1) Etiam hoc ex philosophica illa fabulae interpretatione explicatum sane quam difficilem habet.

2) cf. Prometh. init. cum Philoct. initio, et Prometh. v. 270. cum similibus locis e Philoctete fabula supra allatis et Prom. v. 968. sq. cum pluribus in Philoct. et Prom. v. 992. sqq. cum Philoct. v. 1177. sq.

illam cum Philoctetae erga amicos bonitate composueris; Mercurii autem in Aeschyli fabula mores et sermones fere iidem sunt, quos in sua Sophocles Ulyssi tribuit. Quae si qui omnia casu quodam facta esse contendat: nos, quantum in his casus possit, non ignoramus quidem; nec tamen in hac causa, cum probabiliter illa ad certum consilium revocentur, intelligimus, cur ea casui malimus tribuere, mirabili. Sed, praeterea quod eiusmodi poetarum aemulationis exempla plura habemus 1): in nostra quaestione haud parvi id facimus, quod etiam, cur Sophocles hoc cum Aeschylo inire certamen voluerit, facile causae inveniuntur, satis verisimiles. Etenim Prometheus fabula non modo ab arte 2) tam praeclara est, ut haud dubie maxime Atheniensibus placuerit; sed tantum etiam personarum, sermonum, sensuum, apparatus scenici splendorem habet, ut non

1) V. g. Phrynichi Phoeniss. et Aeschyli Perss. Aesch. Choëph. et Eurip. atque Soph. Electr. cet. (cf. praecipue Eurip. El. v. 530. sqq.) cf. de singulis versibus Boeckh. l. l. p. 241. sqq.

2) Ego quidem hanc fabulam, excepta Agamemnone, Aeschylearum, quae ad nos pervenerunt, praeclarissimam, eo scriptam esse tempore coniiciam, quo Pericles gravissimum illum in Areopagitas impetum fecerat, hoc est, Olymp. fere LXXX, 1. ut forsitan novissimum poetae opus fuerit. Nam chorum quidem in hac fabula non ex L. sed ex XV. Oceanitidibus videri compositum fuisse iam Boeckhius monuit (l. l. p. 72. sq.) Praeterea autem in huius fabulae exordio simul quatuor personae inducuntur; accedit, quod diverbia egregia cum arte instituta sunt; (cf. v. 373. sqq. 944. sqq.) denique, quod alibi nusquam ab Aeschylo videmus factum esse, in hac fabula, mirabili cum studio et successu, personarum mores expressi sunt. (cf. exordium fab. et maximam Promethei sermonum et querelarum partem, cf. v. 436. sqq. et omnia fere, quae choro poeta tribuit, et Oceani et, in fine fabulae, Mercurii partes).

errare nobis videamur, si eam in iis fuisse tragoediis sumamus, quae etiam post mortem Aeschyli saepius ederentur 1). Quod vero haud raro evenisse tragicis videtur, ut ad recondita eorum consilia spectatores parum attenderent; sed ea potissimum sequerentur, quae aut pulchritudine aut sublimitate aut novitate sua se iis praecipue commendarent: id forsitan huic quoque acciderit fabulae, in eum scriptae virum, cui diu certe ita faveret vulgus, ut, etiamsi multa in eo intelligeret merito vituperari, ea tamen, quippe quorum magnam partem sua causa opinaretur factam esse, haudquaquam improbaret. Itaque plurima, puto, quae specie tantum in Jovem, re vera autem in Periclem essent dicta, sic acceperunt homines, ut de hoc viro non cogitarent, sed Prometheo in Jovis odio illo se quasi socios adiungerent. Quod, ut minime Aeschylus voluerat, ita necesse erat, maxime Sophocli displiceret, qui in omni arte sua studiosissime id ageret, ut cives ad deorum reverentiam et pietatem conformaret. Jam pervenimus eo, quo tendimus: nimirum Sophoclem Promethei illi fortitudini, ab impietatis specie parum remotae, sui Philoctetae quodammodo opposuisse constantiam dicimus, cum summa deorum reverentia coniunctissimam. Quamobrem, cum in multis suam fabulam Aeschyleae illi simillimam faceret: in aliis ab eius institutione recessit. Primum enim, e more suo, non tam ad Reipublicae turbas illas, quam ad omnem vitam humanam fabulam suam direxit; deinde sapienter non

1) cf. Boeckh. l. l. p. 51. sqq.

diis deum, sed hominibus hominem induxit irascentem; denique in clausula, ubi apud Aeschylum gravissime et Mercurius et ipse Jupiter deridetur, egregia cum arte, siquidem nemo id exspectabat, Philoctetae, invicti illius viri, erga deos pietatem et reverentiam monstravit, laude et imitatione dignissimam.

Hic disputationis meae finem facerem, nisi putarem mihi in alia quaedam esse inquirendum, quae et ad totam fabulae nostrae institutionem pertinent et plures ob causas mihi vel impeditiora esse videntur vel suspecta.

Atque initium quaerendi ab iis capimus, quae in ea de morbo illo Philoctetae memorantur; in quibus primum id cogitandum est, quod ille herois casus extra fabulam nostram positus est, ut non esset, quod de eo Sophocles nos accuratius doceret; deinde id est tenendum, quod Philoctetae vulneratio ab aliis scriptoribus aliter narrabatur 1); postremo vero grave mihi quidem id videtur, quod Philocteten fabulam non solum ab Sophocle, verum etiam ab Aeschylo et Euripide scriptam esse novimus. In nostra autem tragoedia, atque id quater 2), Philoctetes serpentis morsu vulneratus esse dicitur, sic ubique, ut id casu factum esse videamus, neque in ea re aut culpa ulla Philoctetae aut de Graecis bene merendi studium significetur. Cum vero praedictum esset Graecis, eos decimo demum anno Tro-

1) cf. Scholiasten et intpp. ad v. 194. Valcken. diatr. p. 125. sqq. Groddeck. in Philoct. edit. p. XIII. sqq.

2) v. 191. sqq. 266. sqq. 629. sq. 1302. sqq.

iam capturos esse: fatali casu accidit, ut Philoctetes serpentis illius morsu sauciaretur. Fortasse iam tunc Aesculapii filii, qui erant in exercitu, sanare eum potuissent; sed, quoniam Philoctetes, summis cruciatus doloribus, clamore suo sacrificia turbabat, Atridae eum exponi in Lemno iusserunt, eoque ipsi tum, ut bellum, quod praedixerant vates, in decimum annum duceretur, effecerunt, tum erga socium infelicem crudelitatis suae iustas poenas dederunt. Sic igitur ea intelligenda puto, quae bis Neoptolemus et semel chorus 1) de morbo Philoctetae dicit, non sine deorum numine exorto; idemque et Philoctetae de vulnere suo verbis et Herculis de eo silentio comprobatur. Nam, si Philoctetes ideo morsus a serpente esset, quod contra deorum voluntatem Graecis, in qua fatalia sacra fierent, aram illam monstrasset: id neque Hercules praeteriisset; et certo Philoctetes eo maxime nomine ingratum erga se Atridarum animum accusavisset.

Sed in hac morbi commemoratione mihi quidem tres, qui Philoctetae tribuuntur, versus spurii videntur 2). Namque, ut taceam, quod ista *xyn hei* *) parum commode ad remotius illud *nosoi* referuntur, male me in his *prothentes* habet, compositum cum

1) v. 1100. 2) v. 268. 269. 270.

*) Molestissimum mihi in hoc libro excudendo id erat, quod graecis typis iis, quos inveniebam, deformissimis, uti non poteram. Sed tamen, cum officina publica, ex qua haec prodierunt, insigni Dembekii, praepositi venerabilis, viri praeclarissimi, qui eam regit, studio et cura ceteris, quae sunt Varsaviae, omnibus longe praestet: graeca latinis literis exprimere, quam aliam adire officinam malui.

sequenti *lipontes* et altero *prothentes* in versu 274. Accedit, quod prius istud *prothentes* eodem modo, quo *lipontes* cum *oichonto* est coniunctum, itidem repetito. Male etiam *eremon* repetitur, quod in versu 265. legimus: ut in horum versuum initio quidem, quo nihil prorsus novi accipimus, vix una vox nota careat. At Philoctetes Neoptolemum, ubi incidisset in hoc malum, docere voluit? Sane, hoc si fecisset, nostra inepta esset vituperatio. Sed Philoctetes in his nihil nisi, praeter necessitatem, ubi antea, quam in Lemno ipsum exponerent, Graeci fuissent, docuit: ut Neoptolemus, si non aliunde illum in Chryse insula morsum esse acceperat, quod certe Philoctetes non putabat 1), ex hac narratione id non disceret. Nec vero, his exemtis versibus, orationis coniunctio restitutu esset difficilis, imo expeditissima; quanquam dubito equidem, quin huiusmodi in ulceribus, tam inveteratis, critico uti cultello liceat; quare neque vincturam his nostram adhibemus; sed digito monstrasse locum peritorumque eum proposuisse iudiciis satis habemus.

Similis notae ista mihi esse videntur, Philoctetae 2), arcum suum Neoptolemo tradentis: *Age, accipe, arcum fili; venerare autem Invidiam; ne ex eo mala tibi similia fiant atque mihi et ei, qui ante me eum habuit.* Quid enim eo vult Philoctetes, quod ab arcu suo sibi mala dicit orta esse? Accepit eum quidem ab Hercule, quem concremavit, quasi praemium 3), tristis officii, verum est, sed

1) v. 255. sqq. 2) v. 766. sqq. 3) v. 792. sqq.

quod ipse Philoctetes antea gratum amico beneficium fuisse dixit 1); nec profecto hoc in loco, ne quid simile, nescio cui, accideret, timendum erat. At propter arcum illum Atridae Philocteten Troiani belli sibi socium adiunxerant? Minime vero! Sed, ut alii Graeciae principes, iureiurando obstrictus Philoctetes 2) illos secutus erat, tantumque aberat, ut Atridae fatalem arcus eius vim tunc haberent cognitam, ut, septem navibus eius secum abductis, ipsum cum telo suo in Lemno relinquerent. Nec vero id tam grave illi videri malum poterat, quod supra, ex nautae ficta narratione ista, ad se quaerendum ab Atridis Ulyssem et Diomedem audivit esse delegatos: sperabat enim tunc maxime se, antequam illi advenirent, cum Neoptolemo in patriam esse profecturum. Vide igitur, annon haec quoque aut ex aliis narrationibus, aut e fabulis aliis huc allata sint, in quibus Philoctetes non serpentis morsu, sed una ex sagittis suis venenatis saucius factus esset; quod maxime ea ratione fit probabile, qua ille suum cum Herculis casu illo componit. Sophoclem vero suum Philocteten non haec, sed alia quaedam fecisse dicentem haud obscure iis significari videtur, quae Neoptolemus respondet: *Eveniant haec nobis*, hoc est *mihi ac tibi*, duali enim utitur; quae, ut nunc locus legitur, haud valde apta sunt.

Nec minus suspecta ego illa habeo, in quibus et Achilleorum armorum iudicium et Aiacis infelicitas commemoratur 3). Nam in fabulae initio, quod

1) v. 668.

2) cf. Apollodor, III. 10, 8. 3) v. 1341. sqq.

etiam alias ob causas dignum observatione est, simpliciter Aiax mortuus esse dicitur 1); nec praeterea Philoctetes de eius casu quicquam rescivit. Cum vero nostro in loco hic Neoptolemum eo, quod Atridae in ipsum quoque iniusti fuerint, abstrahere ab eorum causa studeat: Aiacis commemoratio illa etiam aliena videtur. Denique pauca ista verba sic inserta sunt huic orationi, ut nullo negotio possint removeri.

In iis autem, quae de futuro se tanquam certissima accepisse Neoptolemus refert, etiam id est, quod Aesculapii filii Philoctetae, si Troiam esset profectus, arte sua vulnus sanaturi essent 2). Helenus enim hoc vaticinatus erat, seque, nisi ea, sicuti alia, quae praedixisset, omnia evenirent, capitis poenas subiturum esse addiderat. Itaque fidem ei habere Graeci debebant, neque erat causa, cur Sophocles, qui studiosissime ubique vaticiniorum veritatem tueretur, illum mentitum esse argueret. Verum hoc aperte factum videmus in fine fabulae, ubi Hercules, qui diserte ceteras Heleni praedictiones omnes confirmat, sese, ab quo sanaretur Philoctetes, ipsum Aesculapium Troiam missurum esse dicit 3). Atque haec ab Sophocle putabimus profecta esse? Imo, ut tum ab omni eius ratione, tum ab hoc loco alienissima sunt, ita egregie Euripidis isti in diis inducendis

1) v. 410. sqq.

2) v. 1305. sqq.

3) v. 1415 ab *ego*. 1416. 1417. 1418. usque ad *halenai*.

luxuriae conveniunt. Nec vero solum eorum, quae hic addit Hercules de Troia iterum sagittis suis capienda simillima iam antea legimus 1); sed etiam de vulneris Philoctetae sanatione in prioribus 2) ea fit mentio, quam omnes concedant et satis claram esse et ad Heleni illud vaticinium aptissimam.

Concedo in his nonnulla esse subtilius disputata, neque dubito fore plerosque, qui, ut in aliis quibusdam, ita in his me iudicent egisse audacius. Verum ego de his quidem aliter non posse quaeri existimo. Etenim ii, qui hoc modo adulterarunt fabulas, sive actores sive grammatici sive alii lectores isti fuerint, etiamsi male et inepte agerent, non tamen adeo expertes rationis erant, ut vel ea insererent, quae primo aspectu absurda et aliena esse quivis unus cognosceret, vel tam leviter insititia ista genuinis agglutinarent, ut, si qui, securior a fraude, librum in manus sumeret, quasi sua sponte deciderent. Itaque, qua isti in facienda fraude audacia et solertia usi sunt, eadem nos, opinor, iure nostro, utemur in detegenda. Qui locus, quam periculosus sit, quis non intelligat? Ista enim maxime inveterata vitia sunt, neque nos fere, qua suspiciones nostras tueamur, ullam invenimus auctoritatem. Non tamen, si qua sunt difficilia, ea idcirco habentur desperanda; cumque concedant omnes eiusmodi interpolationes in veterum libris et fieri facillime potuisse

1) v. 1404. sqq.

2) v. 1402.

et saepissime factas esse 1): omnino id, quod in Philoctete haec ego ausus sim, nemo criminabitur; sin autem aliquid in suspicionem vocaverim, quod alii certis argumentis Sophocli vindicandum esse demontrabunt: apud aequos iudices meae libertatis certe eo me aliquam inventurum esse excusationem spero, quod, quae non possem probare, ea male feriatorum quorundam hominum sedulitati, quam praeclarae Sophoclis arti malui tribuere.

1) cf. praeter ea, quae in Eurip. Hippol. et Phoeniss. circumspecta Valckenarii sagacitas sibi sumsit, accurata Boeckhii de his interpolationibus disputatio l. l. p. 10. sqq.

OEDIPUS REX.

Etiam haec fabula non minus propter praestantiam suam singularem, quam propterea, quod maxime ad recentioris tragoediae naturam accommodata est, imitatores et interpretes invenit plurimos. Atque illorum quidem conatus, quoniam non sunt eiusmodi, ex quibus percensendis Sophoclis artis cognitioni aliquid accedere posse emolumenti videatur, missos facio 1): interpretum vero de hac fabula merita eo minus praeterire silentio possum, quo magis me ipsum aliqua egere excusatione sentio, quod, cum hic locus iam satis illustratus haberi queat, eum non praeterierim potius, quam novam de eo quaestionem instituerim, fortasse haud necessariam.

Atque in Oedipo fabula examinanda, eam ipsam ob causam, puto, quod imprimis cum recentioris artis praeceptis congruit, viri illi docti fere omnes magis id egerunt, ut, quae hac ex parte in ea dubia essent, explorarent 2), quam, ut diligenter de ipsius

1) Qui in hoc argumento elaborarunt, enumerati sunt a Blümnero, viro celeberrimo, in eleganti dissert. de Sophoclis Oedipo Rege Lips. 1788.

2) De hac fabula cum iuvenili arrogantia et levitate disputavit *Voltarius* in epistola et dissert. suae fabulae praemissa. Multa vero aptissime explanaverunt *Brumoeus* l l. tom. III. p. 222. sqq. et *Dacerius* in animadv. Oedipi versioni eius adiunctis, et *Boivinus* Mém. de l'Acad. des Inscr. VI. p. 372. sqq. et ibid. *Dupuius* XXVIII. p. 123. sqq. et *Luharpius* Lycée I. p. 94. sqq. et *Blümnerus* in diss. l. et *Manso* ante versionem suam Oed. germanicam, et *Jacobsius*

poetae in ea componenda consilio quaererent. Itaque et de institutione fabulae et de rerum in ea expositarum verisimilitudine et de personarum ingenio et moribus ita ab illis dictum est, ut addi vix quicquam possit. Nec minus, quae gravissima est in hac fabula, oraculorum ratio plurimorum interpretum exercuit industriam; sed in hac parte eós equidem non puto sic versatos esse, ut res denuo sub examen vocari nequeat. Etenim illi bene quidem hanc deorum severitatem ad Graecorum mores et religiones aptam esse demonstraverunt; nonnulli etiam, veluti Schlegelius, egregie, quantam haec fabulae pars ad commovendos animos vim haberet, exposuerunt; de eo vero, quod potissimum adduxisse Sophoclem videatur, ut vel omnino hoc argumentum arti suae proponeret, vel in eo adornando hanc potissimum viam iniret, omnes praetermiserunt quaerere.

Dolendum est sane, quod Aeschyli et Euripidis et aliorum tragicorum Oedipi perierunt 1). Melius enim ex iis Sophoclis in sua fabula instituenda et consilium et merita cognovissemus, quam ex Athenaei isto loco 2), in quo magnum poetam ex Calliae cuiusdam grammatica tragoedia, nescio qua, plura sumsisse legimus. Nunc vero cogimur nos eo continere, quod antiquissimam Oedipi miseriarum

in Nachtr. zu Sulzers Theor. tom. IIII. p. 86. sqq. et *Solgerus* in praefat. ad vers. suam Soph. german. et Schlegelius Ueb. dramat. Kunst u. Lit. tom. I. p. 178. sqq.

1) Hos poetas enumeravit Blümnerus in diss. laud. p. 4. sqq.

2) deipn. p. 276.

mentionem apud Homerum invenimus 1); nec fere possumus dubitare, quin illa narratio eo tempore aut inventa sit aut magis exculta, quo viri sapientes, quippe qua feroces hominum cupiditates regerent, maxime oraculorum augere auctoritatem studuerunt. Ex quibus cum satis clare Sophoclem hanc fabulam non excogitasse primum intelligamus: inde aptissima iis, quae in eius tragoedia parum verisimilia videantur, adhiberi excusatio poterat. Sed mittimus haec nunc quidem atque ad oraculorum in ea rationem aggredimur explanandam.

Etenim, quae antiquis temporibus, administrata sapientium virorum consiliis, Graecorum non mores solum, verum magna ex parte etiam res publicas moderaverant, oracula: iam sub bella Persica, magisque etiam postea, cum alias plures ob causas, tum maxime propter philosophiae, quae tunc fiebat, mutationem 2), auctoritate sua pristina paulatim destituebantur. Cum vero in tota antiquioris Graeciae historia vix quicquam gravius atque cognitu iucundius sit, quam oraculorum occulta illa cum rebus publicis gerendis coniunctio: in eam hic quidem non possumus inquirere; sed tantum de iis pauca quaedam afferemus, quae ad nostrae fabulae institutionem aestimandam habemus maxime necessaria.

1) Od. XI. v. 271. sqq.

2) Plutarch vit. Themist. 2. cf. Hardion sur l'origine et les progrès de la Rhétorique dans la Grece. Mém. de l'Acad. des Inscr. tom. IX. sqq. et Rochefort Mém. sur la morale d'Hérodote. ibid. tom. XXXIX. p. 15. sqq.

Atque imprimis perniciosa oraculorum auctoritati ista in pluribus Graeciae civitatibus partium dissensio erat, quippe in qua non posset fieri, quin, si alteram partem illa suis adiuvissent vaticiniis, alteri displicerent. Itaque saepius oracula et fraudis factae partiumque studii accusabantur et plures, qui suam rerum gerendarum rationem non probatum iri illis bene intelligerent, faciebant omnia, quibus vim eorum et apud vulgus fidem imminuerent 1). Accessit, quod multi, fraudulenti homines, lucri faciendi causa, falsa circumferebant oracula 2), quo, si nihil aliud, saltem id efficiebatur, ut viderent homines in his quoque rebus posse fraudem fieri, utque etiam in veriora illa redderentur magis suspiciosi. Ut vero ne ab oraculorum quidem sanctitate convellenda abstinebat licentia: ita aliis vaticiniis, ominibus, similibus, ut quae pene omnia ex hominum interpretatione penderent, in dies minus tribuebatur; neque deerant, qui, quae antea pro portentis ac divini numinis indiciis essent habita, ea ad probabiles causas simplicesque naturae leges revocanda esse demonstrarent 3). Quod cum plures aut, quia vere vetustis illis religionibus addicti erant aut, quia hanc novam doctrinam pessime Reipublicae conducere ratio-

1) Herodot. V. 63. cf. adnot. Valcken. Plutarch. v. Niciae 13. Cornel. Nep. Lysand. VI. 2. cf. Zinserling. l. l. p. 113. sq.

2) cf. ad Aristoph. avv. v. 959. sqq. intpp.

3) cf. de Anaxagora et Pericle Plutarch. in huius vit. 6. et in Niciae vit. 23.

nibus videbant 1), maximopere improbarent: omni, quo poterant, modo, cives avertere ab isto rerum divinarum contemtu et ad antiquam oraculorum vaticiniorumque reducere venerationem studebant. Ac Sophocles, quod satis iam probatum habemus, et in aliis suis fabulis maxime oraculorum reverentiam commendavit, neque aliud quid in nostra egit: sed, cum tunc potissimum, cum eam ederet, plurima Athenis oracula ferrentur 2): gravi Oedipi exemplo demonstrare civibus voluit, deorum oracula et verissima esse et, sicubi contemta fuerint, homines poenas dare acerbissimas 3).

Omnium vero Oedipi calamitatum causa et origo non ab ipso Oedipo, sed a Laio est repetenda; siquidem huic praedixerat Apollo, si filium genuis-

1) cf. Plutarch. vit. Niciae 3. 4. 6. 23. sq. et in vit. Periclis 13. cf. Herodotum, (quem recte Creuzerus, l. l. tom. I. p. 45. in multis Sophoclis similem esse monuit,) I 47. sqq. et saepius.

2) Thucyd. II. 21. et praecipue 17. et 54.

3) Hoc consilium suum, ut solet Sophocles, ipse clarissime significavit in chori illo cantu v. 854. sqq. ex quo pauca hic apponimus: *Utinam mihi contingat, ut retineam venerandam sanctitatem sermonum operumque omnium, quae leges definierunt excelsae, quae coelitus datae sunt, quarum solus deus pater est, neque eas mortalis hominum natura peperit. Neque enim oblivione sopiuntur, neque senescunt. – Qui vero contemptim facto dictove sacra violat, nec ius reveretur, nec deorum sedes veneratur, is malo fato pereat. – Non est, ut ad sanctum posthac eam terrae umbilicum religionis causa – si non ista palam ostensa omnibus erunt hominibus. Sed tu, qui imperas, siquidem ista audis, Jupiter omnia regens, ne haec lateant tuum immortale imperium. Pro nihilo enim antiqua oracula Laio data iam ducunt et nequaquam honor Apollini amplius tribuitur; intereunt vero divina.* E versione Vinshemii.

set,

set, futurum, ut ab eo occideretur 1). Minas huic vaticinio deus non addiderat, sed facinus istud per se erat eiusmodi, ut omni modo cavere Laius deberet, ne id fieret. Atque hoc quidem oraculum, ut antiquis poetarum narrationibus celebratissimum erat, ita, quicunque Oedipi casus exposuerunt, omnes eo usi esse videntur 2). Cum vero Aeschylus 3) Laium, amicorum malis consiliis motum, Euripides 4) vino stimulatum, illa contemsisse oracula dicat: Sophocles intemperantiae eius causam quidem nullam affert, sed rem ita narrat, ut Laium eiusdem fere, quam in Jocaste conspicimus, temeritatis fuisse suspicemur. Omnino vero noster poeta in iis, quae hanc praecesserunt fabulam, commemorandis, veluti in Sphingis malis, brevissimus est, propterea, puto, quod res Oedipi spectatoribus essent notissimae 5). Sed casus, ut diximus, initium ab hac Laii immoderatione sumunt. Is enim, cum Apollinis monita contemsisset, deorum providentiam humanis vinci posse consiliis ratus, ne fieret facinus illud, praedictum sibi, filium, recens natum, exponi in Cithaerone iussit, ibique speravit fore, ut periret. Nec vero ego Schlegelio assentior, hanc fabulam eo deminui sublimitate existimanti, quod omnis in mirabili quadam fatalium

1) v. 702. sqq. 897. sqq. 1166.

2) cf. Schützius ad Aeschyli Sept. adv. Th. tom. I. p. 372.

3) Sept. adv. Th. v. 735.

4) Phoeniss. v. 21. atque id narrat Jocaste.

5) cf. Athen. deipn. p. 222.

casuum humanorumque consiliorum implicatione et controversia vertatur. Primum enim nihil nobis proponi posse sublimius puto, quam hominem aliquem, omni, qua praeditus est, quaque excellit inter aequales, prudentia cum aeterna deorum sapientia quasi luctantem. Deinde vero in nostra fabula non res levis agitur; sed praecinuere dii et Laio et Oedipo ea selera, quibus, quod accidere homini queat, magis horribile et nefarium excogitari nihil possit. Cumque Oedipum videamus omnia tentantem, quibus ei calamitati, quae urbem devastat, medeatur: tanta cum commotione in ea, quae iam ipsi imminent mala, animum intentum habemus, ut in tota fabula de pesti illa, tam graviter descripta, non cogitemus.

Sed revertimur ad Laium. Ei enim cum Apollo nihil nisi, filium si genuisset, ab hoc scelestum facinus commissum iri praedixisset: in hoc tantum abest, ut dei crudelitas aliqua possit accusari, ut sapientia eius et benevolentia appareat hominum generi saluberrima. Neglecto autem per Laium oraculo, poeta non tam propter id ipsum deum iratum fecit, quam gravissima, orta ex ea impietate, mala nobis proposuit. Nec tamen dii, quod in Aiace fabula Minerva Ulyssem docet, malorum hominum curam gerunt; sed ruere eos sua in fata sinunt: unde accidit saepenumero, tunc potissimum, cum auxilium deorum implorant, ut in calamitates summas incidant. Exemplum rei in Electra fabula Clytaemnestram habemus, cui eodem tempore, quo Apollinem de salute

sua precibus adit, deus ultorem immittit, eoque acerbius haec punitur mulier, quo fictus de Orestis morte nuntius ei videbatur laetior. Admirabilem vero sapientiam suam, ut in aliis, ita maxime in hoc probavit Sophocles, quod, quae in vita humana plerumque fortunae et casui attribui caeco soleant, ea in fabulis suis fere sic adornavit, ut in iis quoque deorum numen et voluntas conspiceretur. Itaque in nostra et Laium in eo ipso interfectum esse itinere audimus, quod denuo ad Apollinis oraculum susceperat consulendum 1), et Jocastae, in rerum perturbatione illa Apollinis auxilium imploranti 2), nuntius supervenit Corinthius, qui, cum specie laetissima ferat, ipsa narratione sua omnes scelerum istorum inauditorum terrores aperit.

Ac levitate quidem et oraculorum contemtu omnes in hac fabula Jocaste superat, in sentiendi ratione sua, ut videtur, Atheniensium plurimorum similis. 3) Quod quidem ingenium, cum egregie et Laii uxori conveniat, et fabulae nostrae varietatem augeat, ego quidem etiam aliam ob causam dico sic ab Sophocle esse institutum. Etenim vidit ille non minus bene nostris illis Aristarchis, puto, in vetustis Oedipi calamitatum narrationibus tum alia plura esse parum probabilia, tum vix potuisse fieri, quin Jocaste, quis vere esset ille Oedipus, si non clare perspiceret, at certe

1) v. 114. 725.

2) v. 910. sqq.

3) v. 702. sqq. 843. sqq. 936. sqq. 968. sqq.

suspicaretur. Itaque sapientissimo consilio poeta eam et tam levem finxit, ut vel tunc, cum terribilium errorum iam plura inventa vestigia essent, Oedipum ab iis indagandis dehortaretur 1); et vaticiniorum ei tantum contemtum tribuit, ut pro certissimo filium suum, expositum in Cithaerone, periisse sumeret 2). Neglexit igitur non solum Oedipi cum patre similitudinem 3); sed ne cicatrices quidem illas in Oedipi pedibus animadvertit, quas Sophocles non potuit silentio praetermittere, cum ex iis ille nomen accepisset 4). Ac vide, quanta cum arte poeta, quae in antiqua narratione ineptiora erant, omnia aut evitaverit, aut saltem texerit; siquidem Oedipum de turpibus istis, quas vocat, cicatricibus sic fecit loquentem 5), ut operam dedisse videatur, ne ab uxore unquam conspicerentur.

Gravissime tamen deorum in Oedipum, regem optimum virumque bonum, severitatem vel crudelitatem vituperare solent: vere, si nostris ex sensibus res iudicetur; ad antiqua illa instituta, ex quibus solis haec aestimanda sunt, parum commode. Non enim nobis neque oracula illa inventa sunt, nec Sophoclis fabula scripta est; verum Graecis et Atheniensibus. Quae cum initio ferocissima, semper vero levissima esset natio: non leni et aequabili regi

1) v. 1046. sqq. 2) v. 847. 3) v. 733. sq.

4) v. 1023. et 1027. cf. Schlegelium (l. l. p. 182.) haec inter parum verisimilia referentem.

5) v. 1024. sqq.

demonstratione poterat; sed legum severitati adiungendus terror erat, quo ab sceleribus effrenata animorum libido et violentia repelleretur. Itaque veteres populi moderatores illi, reges, sacerdotes, poetae, legumlatores gravissimas male factis poenas proposuerunt, fabulasque, quarum exemplo monerent homines, cum alias multas, de Ixione, Tantalo, Sisypho, Niobe confinxerunt 1), tum vero hac de Laio et Oedipo narratione docuerunt eos, non solum in eum ipsum, qui deorum sprevisset oracula, sed in omne genus eius irruere mala, quorum nec finem nec modum mortalis quisquam posset praevidere 2). Haec igitur, quae diu ante eius aetatem inventa erant, Sophocles in scena civibus proposuit suis, eo gravius commonendis, quo, indies crescente temeritate, vetera instituta omnia et oracula taxabant licentius. Ac Laius quidem morte sua, quae narratur in hac fabula, malae intemperantiae iustas poenas dedit; Jocaste vero, levis et impia vaticiniorum contemtrix, postquam ea vere praedixisse futura intellexit, ingentibus suis perculsa malis, se suspendit. Infelicissimus omnium est Oedipus, cuius culpa omnis fere ad id rediit, quod natus esset. Is enim, eiectus a parentibus et Corinthum ad Polybum, regem, delatus, eius filium se putabat, donec aliquando in convivio, ex ebrio, se suppositititum esse audivit. Hoc quoque sa-

1) cf. de aliis fabulis ad regendos et docendos homines inventis Hom. Il. V. 405. sqq. Aristot. Polit. VIII. 6, 8. Plutarch. Themist. 19. cf. Jacobs. l. l. tom. IV. p. 122. sq. et Herodot. VII. 137.

2) Eadem severitate etiam Moyses, sapientissimus legislator, in suo populo usus est. cf. Exod. XX. 5.

pienter instituit Sophocles, quod eum hominem, qui id exprobrasset Oedipo, ebrium fuisse finxit. Sic enim istud infirmabatur indicium; Polybus autem et uxor eius Merope, interrogati ab Oedipo, mentitum esse hominem affirmarunt. Nec tamen leve hoc verbum, fatali casu elapsum ebrio, quiescere sivit Oedipum; sed impulit eum, ut de parentibus suis sciscitatum, insciis illis, Delphos iret. Non quaerimus, annon deus Oedipo, qui confugisset ad ipsum, tale dare responsum debuerit, quo scelera ista praedicta averterentur; sed in veteribus narrationibus erat id, quod etiam Oedipus memorat 1), deum nihil nisi eum patrem suum interfecturum esse matrisque maritum fore respondisse. Quo vaticinio territus Oedipus atque, si non rediisset ad Polybum et Meropen, se haec fugere posse mala ratus, in ipsa, quae Delphos ducit, via, in patrem incidit, eumque, nimium ad vim promtus, interficit. Jam igitur, cum prudenter sibi ista evitare scelera videtur, infelix homo, parricida factus, Thebas venit, victaque acumine suo Sphinge, rex creatur et matrem uxorem ducit. Aliquamdiu bene omnia processerunt, atque Oedipus iam plures ex Jocaste liberos suscepit, cum subito pestis exoritur gravissima, ab qua Sophoclis huius fabulae initium duxit.

Cum vero Oedipus et rex optimus et homo bonus et deorum cultor studiosissimus esset 2): ta-

1) v. 779. sqq.

2) v. exord. fab. atque v. 58. sqq. aliaque plurima et v. 133. 576. 663. sqq. 762. sqq. et v. 68. sqq. 133. 279. 299. sqq.

men parricidii et incestus reus erat, neque aliis suis virtutibus id potuit assequi, ut tantorum criminum non poenas deo solveret. In quo non praetereundum est, quod Apollo, quippe suam agens causam, de Laii interfectore aut interimendo aut expellendo, quam solebat fere, respondit apertius 1); Oedipus autem, qui ab omnibus Laium per plures occisum esse latrones aut viatores audiret 2), quomodo de suo illo cogitare facinore poterat, quod commisisset solus? Itaque securus de se et deo regique interfecto se omni modo opitulaturum esse affirmat et postea, quas contra ignotum aliquem Laii parricidam se effari putat, minas atque diras inscius sibi ipsi imprecatur gravissimas. Primum enim *non remotiorum amicorum gratia,* inquit, *sed meapte causa hoc amovebo piaculum* 3), et, paucis interiectis versibus: *Illi igitur auxilium ferendo, mihi ipsi prosum,* ad quae ex verbis, quae ad Thebanos facit 4), haec addimus: *quae ego, expers narrationis huius, eloquar et expers facti*, et gravissima illa: *Exsecror autem latentem caedis auctorem, sive is solus, sive cum pluribus facinus commiserit, ut malus male, communis iuris expers, absumat vitam*, et, quae sequuntur: *Imprecor autem, si in mea versetur domo, me conscio, ut patiar eadem, quae his modo imprecatus sum. Vobis autem haec omnia praecipio, ut exsequamini, et mea gratia et dei et*

1) v. 95. sqq. 106. sqq.

2) v. 122. sq. 291. 706. sq. 833. sqq. 839. sqq.

3) v. 137. sqq. 4) v. 218. sqq.

huius terrae causa. Ac postea: *Nunc vero auctor sum ipse quoque,* (sc. indagandi parricidae) *qui non modo regnum obtineo, quod obtinuit ille antea, sed etiam coniugium et mulieris prolis communionem et communes cum illo liberos, si ei suboles non periisset, haberem genitos. Nunc vero in illius caput mala ingruit fortuna; quapropter ego pro eo, tanquam pro patre meo, propugnabo.* Atque his similes in hac fabula plurimae voces et sententiae sunt, quae, si per se aestimentur, verae iustaeque videantur, in omni autem rerum illarum implicatione gravissime et imprimis tragice miseram humanae naturae fragilitatem et caecitatem comprobant. Veluti in exordio fabulae, quid specie aptius et iustius esse potest laude illa, qua vel Jovis sacerdos vel chorus singularem ac pene divinam Oedipi 1), qui Sphingis aenigma intellexerit, sagacitatem effert? Atque hic vir, qui et sibi et aliis sapientissimus esse et videre omnia videtur, voraginem non videt, ante pedes hiantem! Sed his tam plena est fabula, ut singula omnia nequeant a nobis laudari. Quare ex iis tantum ea commemorabimus, ad quae nos ipsa fabulae deduxerit enarratio.

Advenit post illa verba ad Thebanos facta, per Creontem accitus ab Oedipo, Tiresias, vates caecus, qui initio, cum bene mala ista cognoverit, negat se ea velle aperire; esse enim nimium ipsi regi tristia brevique fore sua sponte satis omnia per-

1) v. 31. sqq. maxime vero v. 34. et 44 sqq.

spicua. Postea tamen, Oedipi irati exacerbatus conviciis, claris verbis ipsum patris interfectorem, matris maritum, liberorum suorum patrem eundem atque fratrem, denique omnium, quotquot fuerint unquam, hominum miserrimum appellat 1). Mirati sunt quidam et, quoniam, festinatione impediti sua, ipsi rem non perspexerunt, vituperarunt Sophoclem, quasi hanc Oedipi caecitatem finxerit parum probabiliter. Sed primum hic, irritatus obstinata Tiresiae taciturnitate, tam gravibus eum lacessivit opprobriis, ut facile eum postea tum ipse tum chorus 2) magis iram suam sequi, quam veritatem crederet. Deinde vero, qui poterat Oedipus se pro regis parricida habere, quem constans fama per latrones ferret necatum esse? At vero in clarissima vatis malorum ipsius enarratione illa necesse erat, Oedipus vel de eo cogitaret, quod aliquando in convivio se non esse Polybi filium audivisset, vel oraculi recordaretur illius, quod eadem ei omnia praedixisset mala, quae nunc Tiresias memoraret? Scilicet hoc fieri tunc necesse fuisset, si non prius Tiresias Oedipum Laii interfectorem appellasset. Quod

1) Mirum quantum in tragoediis vatum audacia et gravitas ab ea timiditate discrepat, quam Calchanti suo Homerus tribuit. (Jl. I. 68. sqq.) Grave mihi hoc quoque videtur ad Homericae poeseos et aliarum Graeciae gentium fabularum differentiam cognoscendam, neque ego dubito, quin haec sacerdotum auctoritas, antiquissima, ita magis imminuta sit, ut paulatim religiones illae exterae in Graecia conformabantur. Gravitate vero simillimum huius Tiresiae, Thebani vatis, in Judaeorum antiqua historia Samuelem habemus.

2) v. 403 sqq. 480. sqq.

cum ille non posset non pro falsissimo habere: qui reliqua ista crederet, fortasse male ab Tiresia doloséque inventa? Sed severi isti censores, si, quam difficile sit apte vituperare, cogitassent, fortasse neque Oedipi in Tiresiam et Creontem vehementiam et suspiciones reprehendissent. Primum enim, cum et Tiresiae illa criminatio iure Oedipo falsa atque maligna videretur, et Creon tum Apollinis vaticinium illud attulisset, tum ipse potissimum, Tiresias ut consuleretur, suasisset 2): suspicio regis non plane vero erat absona. Deinde vero eadem, qua hic Oedipus commovetur, vehementia factum erat aliquando, ut patrem suum interimeret; aptissimeque poeta in viro, ceteroquin optimo, id ipsum in scena nobis vitium ostendit, quod malorum eius prima causa fuisset. Sed denique, idque omnium maximum est, hac praecipue animi sui commotione impeditur Oedipus, quo minus tranquille terribilia Tiresiae dicta queat perpendere, nec quicquam cogitari magis tragicum potest, quam, quod hic vir, qui Tiresiam Laii caedis auctorem vocat, qui ei caecitatem exprobrat, suamque ipsius in Sphingis aenigmate solvendo sagacitatem iactat, qui in tectis insidiis perspiciendis se egregie acutum habet: quod hic vir, inquam, ipsa illa sagacitate sua se periisse non videt; quod, cum omnia mala sua clarissime enarrata audiat, quasi caecus et surdus nihil sentit; quod, suis ipsius exsecrationibus iam prope eiectus ex pa-

1) v. 550. sqq

tria et imperio, gravissima omnia Creonti minatur; quod denique ab Tiresia et Creonte, amico, sibi parari pericula suspicatur: tristissima, quibus iam interiit, mala non agnoscit. Atque in hac quoque Oedipi cum Tiresia et Creonte contentione, quanta in singulis multis vis insit, quis non viderit 1)? Praeclarissime autem et admirabili cum arte Sophocles Jocastes, quae, audita illa contentione, progreditur ex palatio, partes instituit. Haec enim, non contenta eo, quod cum Creonte Oedipi litem illam sedavit, omnes, quibus agitatum hunc videt, removere sollicitudines cupit eoque ipso, ut scelera ingentia ista omnia patefiant, efficit.

Incipit mulier ea, qua est, levitate ab vaticiniorum fide imminuenda, cumque sibi loqui prudentissime videtur, Oedipum, quem modo ad clarissimam malorum suorum enarrationem surdum conspeximus, uno verbo, casu, ut videtur, pronuntiato, sic perterrit, ut neque proxime sequentia, non minus gravia 2), audiat, et iam, summa cum animi commotione, non prorsus inania fuisse vatis verba suspicetur 3). Jocaste enim, quasi praetereundo, in trivio quodam periisse Laium memoravit. In trivio autem cum etiam Oedipus se interfecisse hominem meminerit: inquirendo brevi eo pervenit, ut et locum, et tempus, et habitum atque aetatem comitesque Laii plane in suum convenire facinus istud cognoscat. Una in eo salutis spes reliqua, quod Oedi-

1) cf. v. 307. 511. 349. sqq. v. 435. sqq. 557. sqq.
2) v. 709. 3) v. 737.

pus solus hominem occidit, Laius per latrones plures interfectus esse traditur.

Jam igitur unus, qui Laii interfuit casui, rure servus arcessitur, idem, qui aliquando infantem Oedipum, quem exponere in Cithaerone monte debebat, pastori cuidam Corinthio tradiderat. Is vero Laium non per unum aliquem hominem, sed per plures latrones interemtum esse propterea, ut videtur, finxit, quod turpe videbatur, si ab uno et regem et quatuor eius comites diceret prostratos esse; postea vero, cum eundem, qui hoc patrasset facinus, et Thebas ab Sphinge liberasse et Jocastes maritum videret factum, motus casus atrocitate, precibus impetravit a regina, ut, procul ab urbe, rus demitteretur.

Dum hic exspectatur servus, apte Sophocles Oedipum fata sua et vaticinium aliquando acceptum Delphis narrantem facit. Nimirum adhuc infelix homo id tantum, ne ipse Laii interfector inveniatur, metuit; de parricidio et incestu praedicto sibi, quae scelera prudenter se fugisse putat, non timet. Sed miserrimum se fore hominem dicit, si eum, cuius nunc regnum et uxorem habeat, sua manu peremerit, graviterque, quid tandem commiserit tam scelesti quaerit, propter quod tam ingentia meruisse mala videri possit. Non sane iniusta quaestio est; quanquam aliter austeri huius fabulae inventores illi ratiocinati erant, qui patrum avorumque in deos impietatis acerbas

1) 749. sqq.

poenas non ab illis minus, quam ab tota eorum gente voluerunt exigi. Jocaste vero, in hac rerum perturbatione, non desperat, sed exhortatur Oedipum, ne sibi timeat; vaticinia enim ista fallacia esse, stultosque homines, qui iis terreantur. Intolerabilis haec choro mulieris insolentia videtur; quare gravi illo, cuius supra partem adscripsimus, carmine Jovem orat, ut oraculorum auctoritatem numine suo tueatur.

Finita hac cantione et precibus ab Jocaste iis, de quibus supra memoravi, factis, advenit Corintho nuntius, qui Polybum mortuum in eiusque locum Oedipum a populo regem creatum esse refert, eo ad hoc promtior, quod ipse aliquando infantem illum ad Polybum detulit, ideoque Oedipi felicitatis illius se quasi auctorem habet. Jam igitur Oedipus quoque, exsultante Jocaste, quin oracula vera sint, dubitare incipit; sed timet adhuc a Merope, matre sua, ut opinatur. Quod ubi audivit senex, laetissime, quippe quo se speret regi omnem metum exemturum esse, eum neque Corinthium neque eorum, quorum se putet, filium esse docet, interrogatusque ab illo, et, quando et, quomodo eum acceperit a pastore, et, cur illud ei nomen dederint, ita enarrat, ut Jocaste, iam tristem fere assecuta veritatem, summopere Oedipum, ut desistat ab inquirendo, obsecret. Quod cum frustra se conari intelligit, desperata eius suaque ipsius salute, domum se recipit. Oedipus autem, cuius inde ab fatali illa trivii commemoratione animum vehementissime turba-

tum vidimus, iam vix sui compos est. Modo enim ab Tiresia Laii parricida appellatus, in eamque rem perquirendam totus intentus, subito ea, quae pro verissimis habuit, non esse vera audit, quamque iam admodum probabilem esse vidit, vatis criminationem nunc, siquidem ipsa Apollinis oracula falsa esse videbantur, quomodo non denuo malignam et suspectam putaret? Non igitur mirandum est, quod tanta cum vehementia in originem suam inquirit, occaecatus plane et pristina sua, quam paulo antea iactabat, prudentia omni destitutus. Nec minus Oedipo tanta rerum implicatione vaticiniorumque controversia chorus turbatur auguraturque laetissima omnia, cum, servo adducto, subito horrenda scelera ista omnia fiunt clarissima.

Atque hoc in loco, qui poetarum opera non ipsorum e consiliis, sed ex suis opinionibus quibusdam aestimant praeiudicatis, fabulae finem faciendum fuisse censent: ineptius, si nos recte Sophoclis in ea componenda consilium definivimus. Haetenus enim poeta nihil fere Atheniensibus, nisi hominum in oraculorum veritate eludenda inanem solertiam exposuit: reliquum erat igitur, ut iis calamitates ostenderet, illorum ex contemtu ortas. Itaque primum Jocasten, agnita oraculorum veritate, se suspendisse acceperunt; deinde vero, qua in se Oedipus saeviisset crudelitate, non modo audiverunt, sed oculis suis viderunt, spectaculum atrocissimum. Cum enim Oedipus, Jocasten quaerens, in palatium abiisset, brevi post rediit ex eo, ut, sicuti et deus praecepit et ipse edi-

xit, de patria decederet. Dolenter vero casum conquestus suum, haec omnia Apollinem clamat perfecisse, graviter sane ad levem oraculorum contemtum hominibus excutiendum! Neque ille aliam ob causam, per quae venerit ad eam calamitatem, cum acerba lamentatione, omnia repetit, nisi, ut sua quasi auctoritate et affirmatione comprobet id, quod Sophocles docere hac tragoedia voluit: quae ex impietate hominibus oriantur mala, nulla arte posse evitari. Memorabile vero in his Oedipi querelis id est, quod, etsi bene videt culpam scelerum patratorum omnem non in se ipso, sed in Laio et Jocaste esse: non tamen, nisi uno in loco 1), dolore victus suo, hos accusat.

Nec vero Creontem Sophocles, quod nonnullis visum est, praeter necessitatem in scenam reduxit; sed ad omnem rationem suam aptissime. Primum enim hic, paulo antea tam vehementer et iniuste ab Oedipo accusatus, iam non solum eius in locum rex factus erat, sed ex eo etiam illius sors pendebat futura. Cum vero mala in hac fabula exposita omnia ex oraculis profecta essent spretis: Creontis exemplo docuit poeta graviora omnia ad illorum auctoritatem esse referenda. Quamobrem, ut initio illum potissimum, reversum Delphis, Tiresiae consulendi audimus auctorem fuisse: ita hic eum tam religiosum fecit Sophocles, ut Oedipum non posse expelli patria censeret, nisi denuo de eo Apollo esset interrogatus. Quod ubi ille iam non fere necessarium esse dixit,

1) v. 1383.

graviter Creon eum non minus, quam spectatores monet res, quae modo acciderint, tales esse, quae diis parendum esse nos bene doceant.

Denique etiam filiolas Oedipi non solum ea mente adduxit Sophocles, ut erga eas infelicis patris amorem ostenderet, egregium; sed, ut significaret id, quod gravius etiam in Eteoclis et Polynicis casu cognoscebatur, ne Oedipi quidem calamitatibus Laii expiatam esse impietatem; verum etiam prolem illius infaustam huius culpa reddi miserrimam 1).

Quod vero in extrema fabula Creon Oedipum revertentem in palatium iubet filias amittere, eius rei, praeter alias causas satis mirabiles, nonnulli hanc excogitarunt, quod metuerit ille, ne, dolore ac desperatione victus, Oedipus illas interficeret. Nescio, quid hoc modo non possit fingi; accuratius vero qui rem perpenderit, aliam, puto, rationem sequetur, haud obscure in nostra fabula significatam. Ter enim in ea is, qui Laium interfecerit, cum ab alia omni rerum divinarum humanarumque communione, tum ab hominum colloquiis coercendus esse dicitur 2). Cum vero ipse Oedipus non solum illud facinus commisisset, verum etiam aliis sceleribus contaminatus esset, multo gravioribus: humaniter ei Creon, quibus valediceret, filias adduxit; postea vero eum, quia religio erat, iussit eas amittere.

1) v. 1472. 1500.

2) v. 247. et in ipsum Oedipum ab Tiresia v. 349. sqq. et ab Oedipo v. 808. sqq. cf. v. 1399. sqq. cf. Oed. Colon. v. 1194.

OEDIPUS IN COLONO.

Jam saepius in his quaestionibus poetae nostri etiam in eo humanitatem vel aequitatem laudavimus, quod, si cui personae, non malae, totius instituti sui coactus ratione, aut partes odiosiores tribuisset, aut calamitates inflixisset graviores: ei, sive laudatione aliqua sive alio modo, quasi reconciliare apud spectatores gratiam et compensare mala studuit. Atque simile aliquid, quamvis sublimius natura sua, ille in hac egisse fabula videtur. Cum enim in Oedipo Rege summam deorum severitatem ostendisset: in hac eorum, eodem in viro erigendo, potestatem et benevolentiam exposuit admirabilem: ut pietas utramque procreaverit fabulam, id autem intersit, quod illa Sophocles homines deterrere ab oraculorum contemtu voluit, in hac id egit, ut deos in regem illum infelicem non iniustiores aut crudeliores fuisse demonstraret.

Quibus si quis id opposuerit, quod haec fabula ab poeta in Athenarum atque curiae suae gratiam composita esse videatur 1): non nego equidem plurima in ea ad hoc esse egregie accommodata; imo primum scribendae eius consilium illi forsitan ex Thebarum cum Athenis, quod tunc erat, dissidio

1) cf. Argument. huius fab.

ortum fuerit 1): sed tamen, quod ubique docebat Sophocles, humanas res divinis esse posthabendas: ad hoc etiam in hac fabula ita artem suam direxit, ut Oedipi sepulcri vim mirabilem et alia, gratissima Atheniensibus, tanquam praetereundo praedicaret quidem; summam vero operis, ex temporum illorum quasi elatus angustiis, ad deorum potentiam et iustitiam referret in Oedipo augendo declarandam.

Cum vero in Oedipo Coloneo res plures, veluti Eumenidum sacra illa, explicatum admodum difficilem habeant: institutio fabulae tam plana est, ut fere sufficiat de ea anonymi summarii auctoris iudicium: esse admirabilem. Cum vespera haec tragoedia comparari possit diei, magnis turbati tempestatibus, quarum terror, strage ingenti edita, perculsos animos adhuc comprimit; sed iam, sereno hic illic reddito coelo, singulae tantum nubes nigrae, mirabiliter solis inardescentes radiis, tonitrua edunt, occasumque diei stupentibus splendidum et sublimem portendunt.

Sophocles igitur in hac fabula, id, quod significavimus, secutus propositum, Oedipum senem exsulem et errantem inducit, mendicum, caecum, horridum aspectu, cuius et consuetudinem et tactum, piaculum veriti, homines fugiunt 2). Memoratur autem de omnibus, quae in eum irruerunt, malis saepius et copiosius, quo spectatores vel, quantis e miseriis,

(1 De tempore, quo haec fabula scripta esse videatur, ac de loco, in quo Oedipus mortuus et sepultus esset, plura bene disputavit Sallier: Mém. de l'Acad. d. Inscr. tom. VI. p. 385. sqq.

2) Ed. Musgravii v. 230. sqq. 999. sqq. 1565. sqq. 1194. sqq.

quantam ad dignitatem per deos evectus esset, maiore cum admiratione cognoscerent, vel eum non culpa sua aliqua, sed fatali necessitate patrisque Laii intemperantia in eam incidisse calamitatem clarius intelligerent 1). Ac primum Eumenides, dirae illae scelerum ultrices, miserum hominem, in luco ipsis sacrato, ad quem aliis omnibus nefas esset accedere, benigno quasi hospitio excipiunt. Nec vero id deae, improbantes Apollinis illam severitatem aut dissentientes ab eo, faciunt; sed dudum ab hoc ipso praedictum erat Oedipo, eum apud Eumenides aliquando omnium malorum suorum requietem esse inventurum 2); cui vaticinio aliud deus addiderat, quod Atheniensibus non potuit non esse auditu iucundissimum: Oedipum iis, apud quos receptus et sepultus esset, ita praesidio fore maximo, ut Thebanis, qui eum eiecissent, gravia inde mala essent oritura 3). Cum vero haec oracula Apollo et multis ante annis Oedipo dedisset et pars eorum ea, quae ad Athenienses pertinebat, propter temporis, quo evenire deberet, longiquitatem, incertior videri posset: magna cum arte Sophocles fecit omnia, quibus tum illorum veritatem civibus suis probaret, tum vero Oedipi, paulo antea miserrimi, nunc per deos aucti, ingentem voluntatis vim et gravitatem ostenderet. Primum enim Oedipus memorat, deum sibi praedixisse, si ad locum pervenisset ipsi designatum,

1) Hoc etiam in Oedipo R. significatum vidimus; sed hic Sophocles rem sic egit, ut ille ex omni culpae suspicione eximeretur. cf. de Laii culpa v. 1020. sqq. 2) v. 87. sqq. 3) v. 93. sq. 425.

eius rei signa ei vel terrae motum vel tonitrua, vel fulgura esse futura 1): eaque in fine fabulae eveniunt omnia. Deinde vero Ismene inducta patri eadem, quae ipse accepisset aliquando, nuperrime Thebanis data esse oracula nuntiat 2); de quibus, ubi Oedipus, quippe quo certius rem exploraret 3), illa filiam interrogavit, quae ad eum viri aspectum Athenienses fortasse cogitarunt:

Quae roboris spes in homine,
Ita misere affecti, reliqua sit alicui?

graviter Ismene respondet:

Qui proruere te, Dii nunc erigunt. 4)

Nec multo post, ipsis illis commotus oraculis, Creon advenit, omnique modo Oedipum, contemtum tam diu, sibi et Thebanis adiungere socium studet; nec tamen id perficit, sed Oedipus, iratus violento homini, diras ei imprecatur poenas 5), quas Athenienses in Sophoclis Antigone fabula viderunt ab eo exactas. Denique etiam Polynices, patriae et fratri bellum illaturus, refugit ad patrem, gravissimisque precibus, cum ad ipsum dii spem salutis suae omnem retulerint, commovere eum conatur,

1) v. 95. sq. cf. v. 1581. sqq.

2) v. 402. sqq. cf. 465. sqq.

3) Simili modo saepius in tragoediis interrogant homines de rebus, quas non discere, sed audire distinctius volunt cf. nostrae fab. v. 74. sq. et Oed. R. v. 112. sq. 1115. Trachinn. 231. sqq.

4) Idem post Oedipi abitum chorus precatur v. 1635 sqq. *Cum multis immerito oppressus fueris aerumnis, rursum te iustus deus augeat.* 5) v. 915. sqq.

ut secum Thebas proficiscatur. Sed ille, vehementer ingratis iratus filiis, hunc quoque et fratrem exsecrationibus suis neci devovet mutuae, qua brevi post uterque periit 1). Jam igitur, postquam satis Sophocles fatalem Oedipi irae vim Atheniensibus monstravit, etiam in obitu senis deorum, tanquam praesentium, benignum numen tanta cum arte significavit, qua nescio, quid cogitari possit sublimius. Etenim, audito tonitru et fulguribus editis, signis illis praedictis per Apollinem, subito, qui antea, nisi duceretur, pedem non posset promovere, erigitur senex, graviter plura, quibus Athenarum saluti consuleretur, Theseo praecipit, solusque, per deum, ut dicit, ductus ad sepulcrum suum progreditur. Nuntius autem, reversus in scenam, quam mirabili modo Oedipus, ipso, non vocante solum, sed apparente deo 2), obierit, enarrat, atque Antigone mortem ei contigisse dicit, quam sibi exoptet quisque, felicissimam 3).

Atque in his, cum ea, quibus Oedipus Atheniensium quasi deus tutelaris redditur, intellectum satis facilem habeant: de iis, quae ad illius vel exsilium, vel in Creontem filiosque iram pertinent, pauca quaedam dicenda sunt.

Etenim, cum post Oedipi casum ad Creontem summa imperii venisset: hic se negavit illum expellere Thebis posse, antequam denuo de eo Apolli-

1) Cum his exsecrationibus Oedipi de filiabus praedictio coniuncta est, quam nescio, qui aut expediam aut defendam: istam dico in v. 1444. sqq.

2) v. 1697 sqq. 1721. sqq. 3) v. 1750. sqq.

nem consuluisset 1). Bene hoc fecit, puto; neque in hoc erat, quod Oedipus vituperaret. Id vero, quod tunc Apollo iusserit, in Sophoclis fabulis, (nam ab aliorum narrationibus hic abstinemus), nusquam clare significatur; audimus tantum Oedipum post cladem suam diu mansisse Thebis 2), atque oracula de eo plura esse edita, quae illi, clam Thebanis, per Ismenen referebantur 3). Cum vero initio Oedipi filii Creontem sivissent regnare: postea ipsi aggressi sunt imperium 4): hoc pacto, ut primum apud Polynicem, postea apud Eteoclem summa potestas esset 5). Sub Polynicis autem regno iusserunt Thebani Oedipum ex patria eiici 6): nescimus, quam ob causam; sed coniicimus tunc multa urbi accidisse mala, de quibus cum consuluissent deum, ea accepisse oracula videntur, quibus plures quidem illud putarent praecipi. Certe Creon Oedipum non in ipsam terram patriam restituere, sed in finibus eius alicubi custodire voluit 7), atque etiam Ismenae patrem in Thebana terra non posse sepeliri persuasum erat 8). Polynices autem illi se eum domum suam reducturum esse pollicetur 9), idque Oedipus quoque, ut videtur, per deos quidem licere credidit 10).

Jam igitur hunc, iracundum hominem, qualem ubique ostendit Sophocles, vel propterea succensuis-

1) Oed. R. v. 1424. sqq. 2) v. 450. sqq. 3) v. 366. sqq.
4) v. 380. sqq. 5) v. 1419. sqq. 6) v. 455.
7) v. 412. sq. 417. sq. 8) v. 429. 9) v. 1407.
10) v. 421. et 456. sq.

se Creonti et filiis suis accipimus, quod tunc invito ei accidit, quod antea volenti fuisset negatum 1); deinde vero id utrisque crimini vertit, quod non prohibuissent, ne expelleretur 2); denique gravissima et iustissima haec irae eius causa erat, quod tam misere tamque turpiter in exsilium ab illis esset eiectus 3). Censebat enim ille aut secum filios debuisse solum vertere, aut certe id curare, ipse ut honestius exsularet; istos vero male suo ipsius insidere solio et tyrannos esse maluisse, quam patri, seni, quae deberent, solvere 4). Quae quidem, cur Sophocles non cum consueta sua perspicuitate exponeret, hanc fuisse causam puto, quod in iis ab ipsarum veterum illarum narrationum obscuritate laborabat, quae, cum Oedipum diras filiis poenas imprecatum esse constanter omnes traderent, cur id fecisset, causas sive nullas, sive ineptissimas reddebant 5). Prudenter igitur Sophocles, quo fabulae et verisimilitudini et dignitati consuleret, hanc eius partem reliquit occultiorem; neque distincte oraculis Oedipum in exsilium eiectum esse dixit: minor enim tunc in filiis et Creonte culpa apparuisset; neque aperte id negavit, quoniam iis, in quibus fabula nostra vertitur, oraculis praedictum erat Oedipum prope Athenas, in Furiarum luco, miseriarum suarum quietem esse inventurum.

1) v. 444. sqq. 789. sqq. 2) 442. sq. 454. sqq.

3) v. 441. 457. sqq. 1422. sqq.

4) v. 350. sqq. 431. sq. 461. sq. 1419. sqq.

5) cf. Schützium in excurs. ad Sept. adv. Thebb. p. 374.

De actionis institutione post ea, quae iam disputavimus, tantum pauca quaedam addenda sunt. Imprimis enim varia et commota est, resque Thebanae, tanquam in fluvium magnum rivuli, in hanc fabulam omnes concurrunt. Audimus Oedipi et de praeterita sua infelicitate graves sermones et de futuro tempore laeta Atheniensibus, tristia Thebanis vaticinia. Inducitur exsul per Antigonen, piam errorum eius comitem; advenit postea Thebis Ismene, non, sicuti Laharpius censuit, praeter necessitatem, sed tum novorum oraculorum, tum occulti regum consilii nuntia. Creontis autem violentia, per Theseum, fidum supplicis Oedipi defensorem, depulsa, Polynices frustra enixis precibus flectere patrem conatur; denique, post splendidum et admirabilem Oedipi obitum, Theseus moestis eius filiabus, se eas, quoniam id velint, Thebas remissurum esse pollicetur.

Insigniter vero etiam hac in fabula Sophocles in moribus depingendis artem suam probavit eximiam; neque solum praeclare Oedipum expressit; sed etiam secundas ac tertias partes ex ingenii sui abundantia splendidissime instruxit. Theseum enim pietatis, strenuitatis, humanitatis absolutum exemplum fecit; Creontem vero non tam malum hominem ostendere nobis voluit, quam patriae salutis causa omnia tentantem. Quis vero non maxime Polynicis, impii quidem erga patrem filii, sed infelicissimi hominis, precibus illis moveatur, poenitentia et dolore et, in spe admodum exigua, desperatione commotissimis? aut quis non invictam eius animi admiretur con-

stantiam, qua, reiectus a patre et devotus, pereundum sibi potius, quam turpiter desistendum ab suscepto bello censet, sororesque tantum id rogat, ut, si reductae Thebas fuerint, sese, mortuum, tumuli honore ne destituant. Nec minus pulchre Sophocles, paucis quasi ductibus, Antigones et Ismenes delineavit imagines. In patrem pietate utraque excellit virgo; sed multo tamen Ismenae in hac quoque fabula animi magnitudine praestat Antigone. Nunquam enim suam a patris sorte seiunxit, sed miserias cum eo constanter omnes pertulit. Pietatis vero, tanquam sacrata ministra et conciliatrix, neque patrem, iracundum illum senem, hortari veretur, ut, quod naturae debeat, Polynicem, filium suum, saltem audiat, et in extrema fabula, ubi ad patris tumulum redire cognovit nefas esse, idcirco quam celerrime reduci Thebas cupit, ut, si possit, dira a fratribus suis mala avertat. Laudanda etiam Jsmene, quae non modo Thebis degenti patri oracula retulit de eo edita; sed etiam Athenas iter, quo eius saluti consuleret, non sine suo aliquo periculo suscepit; sed haec tamen, quod minime soror facit, nonnihil etiam sibi prospicit, atque in fine fabulae, ubi Antigone tota in patris luctu est et de fratrum imminente sorte angitur, Ismene etiam suam ipsius futuram sortem tristem lamentatur.

Consilio in hoc loco de Oedipi partibus dixi brevius, quippe reversurus ad eas, propter discrepantia de hac fabula duorum excellentium virorum,

Jacobsii et Hermanni, iudicia, quorum ille quidem in ea facile auctoris summam cognosci senectutem existimat 1); hic e versuum conformatione eam non esse Ol. LXXXIX recentiorem colligit 2). Atque Jacobsius dignitatis et gravitatis haud parum inesse in hac fabula concedit quidem; sed tamen modum, quo nos afficiat legentes, elegiacae commotionis plus, quam tragicae habere dicit: distrahi enim studia nostra perturbatione, ex senis timidi sermonibus, ex Polynicis dolore, ex Antigones et Ismenes, filiarum patris amantissimarum, querelis procreata. Gaudeo maxime, quod vir egregius in Polynicis dolore illo, mirabiliter expresso, idem atque ego sensisse videtur; nec tamen illa, quam dixit, affectuum varietate spectatorum animos nimium distractos esse equidem concesserim. Nam primum singulari cum arte, quod demonstravimus, universa haec fabula est ad Oedipum relata, neque Antigone et Ismene luctu suo, quod ipsa Antigone significat 3), aliud quicquam, quam debita patri solvunt. Quod vero eadem propterea se maxime velle Thebas redire dicit, ut fratrum, si possit, dissidium dirimat: hoc ea mente, ni fallor, instituit Sophocles, ut tum pietatem virginis monstra-

1) Nachtr. zu Sulz. Theor. tom. IV. p. 146.

2) Laudatus ab Erfurdtio in Oed. R. ed. mai. ad v. 1512. Nunc in eiusd. fab. editione min. omissa haec video; fortasse ab ipso Hermanno retractata. Cum vero haec scribenti mihi non liceat acta perquirere: disputationi meae, si haud apta fuerit, veniam peto.

3) v. 1785. sqq.

ret eximiam, tum arctius Oedipum Coloneum cum Antigone fabula coniungeret. Minime vero ego quidem in hoc Oedipo timiditatem agnosco; sed imprimis in hoc admiror Sophoclem, quod, ipse senex, miseri illius atque obruti aerumnis viri, etiam hac in fabula, tam constantem et invictum animum expresserit 1). Nam in exordio quidem fabulae ille se abscondit, non, quod sibi timeat: iam enim se magnarum dearum, Eumenidum in tutelam pervenisse audivit; sed tantum auscultare, antequam conspiciatur, chori sermones cupit, utque ex iis quoque, sese vere in Eumenidum sacro esse cognovit, sine metu prodit 2). Itemque in malorum suorum enarratione horrore potius, quam timore aliquo movetur chorumque ita, ne quid sibi mali faciat, rogat, ut fiduciam sui quidem nullam, sed deorum numinis Athenarumque iustitiae summam ostendat. Denique eundem etiam in contentione cum Creonte habes, neque omnino ego video, num quid ad commovendos animos esse magis factum possit, quam senex ille excaecatus, qui, ab robore imbecillimus, sed Furiarum supplex imperterritus, in saxoque illo immobilis, tum amicis ex sepulcro suo, auditu quidem incredibilia, sed mirifice per deos confirmata, beneficia promittit; tum vero adversariis suis atrocissima, quorum non minus omnes veritatem cognoverunt, mala imprecatur. Moderatam poeta hanc duritiem

1) v. 838. sq. 1259. sqq.

2) Ut vere de hoc loco sententiam meam dicam: ego Sophoclem, removendo Oedipo, choro canendi copiam facere voluisse suspicor.

illa benevolentia habet; sed sapienter isti etiam ex eo aliquid adiecit temperamenti, quod pluribus in locis nobis Oedipum filiarum suarum ostendit amantissimum.

Hermanni de tempore, quo haec fabula scripta sit, iudicii pars ea, quae versuum conformatione nititur, neque ab viro docto ita descripta est, ut sub examen vocari queat, et ipsa natura sua, quantum ego sentio, est incertior. Sin autem recte in his rebus diiudicandis aliquid etiam sensibus datur: in hac fabula, sive omne dicendi genus, sive chori cantiones, sive in ipsa institutione complura, insigni circumspectione et moderatione et suavitate sua ita nos afficiunt, ut vel propterea hoc ab sene confectum esse opus existimemus. Leviores in hac quaestione, si ad singula nos convertamus, ii loci fuerint, qui tum ab rerum divinarum egregia laudatione, tum ab humanarum aestimatione iustissima senectutis prodere sapientiam videantur 1): (etenim haec scimus praeclare nonnunquam etiam iuvenes poetas esse imitatos); sed plus ei tribuendum esse studio puto, quo Sophocles Oedipi in filios ingratos iram expressit. Notum est enim omnibus et a nobis etiam supra memoratum 2), Sophoclem, ut est apud Ciceronem, in summa senectute, sive, ut Lucianus dicit, sub finem vitae, quod rem familiarem negligeret ac desipere videretur, a filiis in iudicium

1) v. 281. sqq. 634. sqq.

2) p. 176. et 271. a Plutarcho autem, qui memorantur, senes sunt fere omnes saltem septuagenarii.

vocatum esse, omnesque, qui hoc narrant, non contemnendae auctoritatis scriptores, eodem tempore eum hanc composuisse fabulam tradunt. Non potest dubitari, quin senex illud moleste tulerit; sed, cum alios poetas plures noverimus, qui, quas ipsi in vita sua minime sequerentur, virtutes studiose in poematis suis commendarent: ille in vita odia et inimicitias nullas fovisse, eorumque sensuum acerbitatem omnem retulisse ad poesin videtur. Itaque tunc quoque, si Valerio Maximo credimus 1), paulo post quam accusatus esset a filiis, in gratiam cum iis rediit; in fabula autem sua, quantum ea indignitas odium, quantasque poenas mereret, graviter et illis et aliis omnibus ostendit 2).

Facile ex his intelligitur epigramma illud apud Plutarchum, in quo Sophocles, quinquaginta quinque annos natus, Herodoto carmen fecisse dicitur, inepte ad Oedipum in Colono esse relatum. Namque id levius est, quod Oedipi illa liberorum suorum cum Aegyptiis comparatio ex Herodoti expressa esse historiis videtur 3); siquidem tales exterarum gentium commemorationes, propter ipsam rerum novitatem, placuerunt Atheniensibus, simi-

1) VIII, 7, ext. 12.

2) Memorabiles in hoc illi versus sunt: 1442. sq. *ut pietatis, hoc tandem modo, Praestare quam decet parentibus, animis Memoria vestris excitetur.* Qui, cum maxime poetae filiis scripti esse videantur, non tamen minus apte in Eteoclem et Polynicem dicebantur, quamvis brevi interituris gratique in patrem animi exhibendi tempore iam destitutis. cf. locum simillimum Herodot. I. 11.

3) II. 35.

lesque et apud tragicos et apud Aristophanem plures inveniuntur. Cum vero omnes intelligant Sophoclem, etiamsi hanc fabulam non Herodoto conscriberet, illa ab eo potuisse mutuari: 1) minus etiam aliis quibusdam tribuerint, quae aliquam cum Herodoti narrandi sentiendique ratione habere similitudinem videantur. Imo, quem maxime huc referas, chori ille de senectutis molestia cantus 2), in multis Herodoteae de Croeso et Solone narrationi similis, gravissime hanc fabulam ab sene poeta scriptam esse comprobat. Non enim illae de huius aetatis miseria querelae ex fabulae institutione necessariae erant; verum Sophocles iis ipsius suam expressit satietatem vivendi.

1) Non ego utique negaverim Sophoclem hanc fabulam Herodoto composuisse, modo id nonagenarius fecisse dicatur, non quinquagenarius. Herodotus autem certe Ol. XCIII adhuc vixisse videtur. vid. Larcher. Hist. d'Hérodote. tom. I. p. LVIII. sq.

2) v. 1275. sqq. cf. Herodot. I. 31. sqq. Apud Herodotum plurima plane tragico modo narrata et conformata esse nemo est, qui nesciat. cf. I. 5. et 34. sqq. III. 40. sqq. cf. II. 156. cf. Rochefort sur la morale d'Hérodote et sur Hérodote comparé à Homère. in l. l. Omnino vero ad antiqua illa monumenta rectius aestimanda non inutilis fuerit Herodoti et Thucydidis et Pindari et dramaticorum poetarum dicendi et philosophandi generis comparatio accuratior.

ANTIGONE.

Justa fuerit et facile probata omnibus laudatio, si qui Sophoclem, quot superstites sint eius tragoediae, tot Pietati atque Humanitati, quasi sacerdotem castissimum, sacra fecisse dixerit. In omnibus enim ille has potissimum virtutes ut summas et praestantissimas commendat hominibus, ad easque etiam Antigonen suam instituit; siquidem ea docemur antiquas deorum leges pie colendas esse graviterque puniri eos, qui novis suis decretis aliquibus temere illarum infregerint sanctitatem. Ut vero semper in suis fabulis Sophocles id, quod propositum haberet, consilium, diserte ipse indicavit: ita hoc etiam in nostra ostendit, primum Antigones illis verbis, quibus, interrogata ab Creonte 1):

Qua fronte leges ausa eras has transgredi?

haec respondet:

Non summus haec mihi imperarat Juppiter,
Nec iustitia Deos quae habitat apud inferos,
Inter homines, qui iura sanxerunt pia.
Nec iussa tanti ponderis tua aestimo,
Mortalis ut perennia deorum queas
Temerare iura, insculpta mentibus hominum:
Non haec heri aut sunt nuper admodum edita:
Vixere semper: quoque tempore coeperint,
Scit nemo.

1) v. 445. sqq.

deinde eadem patrem Haemon monet, interrogantem 1):

An pecco, regni iura dum colo mei?
Non sic colis, cum diis honorem debitum
Calcas pedibus.

Quibuscum et Tiresiae, vatis, sermones concinunt 2), et, quae in clausula chorus canit:

Praecipua est ac longe prima
Recte sapere felicitas.
Verum religio supremi
Numinis haud est afficienda
Iniuria, nam coelites postquam dii
Poenas sumsere superbis
De sermonibus:
Aetate docent sapere extrema.

Atque institutionem huius fabulae explorantibus nobis praecipue id dignum observatione videtur, quod in ea duae personae, Creon et Antigone ab actione gravitatem fere parem habent: imo sine Antigone tragoedia, Creon, potest cogitari, sine Creonte Antigone non potest. Creon enim eo, quod Polynicem insepultum abiici, volucribus praedam, iussit, impie sacras deorum leges violavit; poenae autem eius arrogantiae, quas solvit, tam graves sunt, ut fabula, quae, praeter eas, alia nulla mala exponeret, non sane iusta sua et tragica carere acerbitate videretur. Erraret tamen non leviter, si qui magnum poetam sive non bene hoc modo duas illas perso-

1) v. 740. 2) v. 985. sqq. cf. ipsius Creontis verba v. 1100. sqq.

nas coniunxisse diceret, sive nomen fabulae non ab Antigone, sed a Creonte aut, sicut Trachiniis, a choro debuisse petere iudicaret. Namque Antigone, quas male Creon contemsit, deorum leges pietate sua admirabili defendit, atque ita in hac fabula primas obtinet, ut ipsorum deorum tanquam causam agit. Non igitur graves illae Creontis calamitates ex eo potissimum oriuntur, quod Polynicem vetuit sepeliri, sed ex eo, quod crudelius Antigonen punivit. Sed fabulae nostrae instructionis aestimatio ita omnis ex personarum, quae in ea inducuntur, ingenii morumque cognitione pendet, ut, quo iustius illa possit fieri, iam harum aliqua nobis experienda sit explanatio.

Creon enim, cum post Eteoclis et Polynicis mortem rex factus esset: putabat cives magis Antigonae et Ismenae, quam sibi bene velle, imo suum ab Thebanis moleste ferri imperium suspicabatur 1). Hoc maxime commovit eum, ut Polynicem vetaret sepeliri; voluit enim, in ipso regni sui initio, partim iustitiae suae clarum documentum edere 2), partim hoc modo se facillime, quid sentirent Thebani, cogniturum esse credidit. De Antigone, ut videtur, non cogitavit; commovetur enim, cum eam adduci ab custode videt, nec persuadere sibi potest eam audivisse decretum suum 3). Haec tamen non modo se id bene cognovisse affirmat; sed tantam etiam

1) v. 528. sq. 689. sqq. et v. 289 sqq. 1402 sqq.

2) v. 175. sqq. 282. sqq.

3) v. 248. 292. sqq. cf. et v. 397. sqq.

vel in impia lege eius improbanda audaciam, vel in morte contemnenda animi magnitudinem declarat, ut gravissime tyrannus, quoniam se contemni a muliere putat, in eam irascatur, poenasque lege sua constitutas ab ea velit exigere. Quo vero magis Creon istis movetur suspicionibus: eo vehementius, si quis defendere Antigonen conatur, exardescit; utque iam antea quam ab ea Polynici iusta soluta esse rescit, chorum, prudenter eum de deorum legibus monentem, ut insipidum increpat: ita gravissime in Haemonem filium, quem assentiri sibi putabat, invehitur; adeoque, siquidem sibi iure suo tam severus esse videtur 1), inopinata illa omnium repugnantia exasperatur, ut, nisi perfecerit id, quod minatus esset, actum esse de regia sua auctoritate putet. Unde fit, ut etiam Tiresiam, vatem sanctissimum, cuius maxime sapientiam perspectam haberet, corruptum esse pecunia atque instigatum in se suspicetur, eiusque consilia et monita saluberrima arroganter respuat. Sed tamen post abitum viri, graviter minis eius territus, sese errasse subsentit: reparare igitur mala cupit, quae iam valde timet, sed sapit serius. Antigone enim in carcere isto subterraneo se iam suspendit; Haemon ante oculos eius semet ipse conficit; redeunti in scenam Eurydices, uxoris, mors nuntiatur; denique in fine fabulae hominem profligatum omnibus iis malis videmus, quae in Colono Oedipus ei imprecatur. In quo rerum exitu nemo mira-

1) v. 655. sqq.

bitur, quod Sophocles Creontem non tam fortem fecerit, ut se sua manu interimeret. Nam gravitatis quidem ex eo fabulae nihil accessisset; cum vero Creontis partes natura sua eminentiores essent, sapienter Sophocles eas sic instituit, ut ne nimium aliquod eius studium excitaretur. Itaque non solum in extrema, sed in tota fabula nobis eum hominem ostendit, rebus, quas moderari deberet, ipsaque dignitate sua inferiorem, honore regio male elatum, ineptissime vehementem 1), in secundis rebus ita superbientem, ut in adversis constantia et animi magnitudine omni destitutum.

De Haemonis partibus multa disputaverunt interpretes, imprimis Gallici. Cum enim maximo illum Antigones flagrare amore viderent, moleste plures tulerunt, quod Antigones erga Haemonem amoris nullum in hac fabula invenerunt indicium 2). Sed res simplicissima est, neque, cur sic eam Sophocles adornaverit, quicunque paulo rectius artem eius cognoverit, non intelligit. Etenim in Haemone inducendo consilium ille duplex sequebatur: alterum, ut Creontis, filii unici precibus contemtis, etiam magis in re mala pertinacia appareret; alterum, ut huius morte tyrannus infelicissimus redderetur. Itaque et initio Haemonem tam bonum et moderatum fecit,

1) v. 765. sqq.

2) Barthelemius, Antiquitatis existimator elegantissimus, falso, quod iam plures monuerunt, versu 519. in quo Antigone de fratribus suis loquitur, eius erga Haemonem amorem putabat exprimi. Reise d. jüng. Anach. tom. 6. p. 30.

ut Creon, si non insaniisset, eius deprecationi debuisset cedere, et postea iuvenis tantum Antigones amorem ostendit, ut, ea mortua, vivere ipse nollet. Amoris autem eius vehementiae, etiamsi non mutua sit benevolentia, et alia exempla in promtu sunt, et similes Haemonis iuvenes apud Comicos Romanos invenimus quam plurimos. Quod vero Haemonem nuntius eo processisse furoris narrat, ut, mortua Antigone, patrem suum vellet interficere, id, quantum ego sentio, nihil nisi summam eius desperationem iramque subitam significat; non enim persecutus esse fugientem patrem, verum, eo regresso, se perfodisse ipsum dicitur 1).

Cum Haemonis partibus commode Eurydices, matris eius, Creontis uxoris, partes coniunguntur, brevissimae. Non temperavit iis levis Laharpii severitas; sed, si qui nunc ita personam induceret, eum male facturum esse docuit; cur ea Sophocli placuerit ratio, non sibi explorandum esse censuit. Nos vero, quid de his Eurydices partibus habeamus, iam supra significavimus: Sophocles enim eas hac mente instituit, ut undique irruentia in impium virum mala ostenderet. Ad quod, si qui cum Laharpio Haemonis interitum suffecisse iudicaverit: is non satis id perpenderit, quod hanc tragoediam Sophocles non

a) Ut multa in libro suo de poetica, sic ea quoque festinantius scripsit Aristoteles, in quibus hunc Haemonis conatum ut tetrum vituperat. XIV. 16. Notavit autem v. 1216. sqq. non 747. Etiam Barthelemius disseruit de hoc loco, sed sumsit plura, quae in eo non insunt.

nobis scripsit, sed Atheniensibus, iisdem, quibus talem, qualem cognovimus, Oedipum Regem composuit.

Tiresias in nostra fabula, sicuti in Oedipo, summae gravitatis, sed idem humanitatis singularis senex est. Nam initio, memoratis iis consiliis, quibus antea saepissime Creontem in civitate adiuverat regenda, eum et impio iussu suo deorum turbare sacra docet et benevole hortatur, ut sepeliri Polynicem iubeat; in mortuos enim crudelitatem neque laudem cuiquam afferre, et mala inde oriri maxima. Quae si audivisset Creon, cladem istam effugisset. Poeta enim sic rem voluit cogitari, ut eodem tempore, quo Tiresias, Creontis lacessitus iniuriis, calamitates vaticinabatur futuras, Antigone sibi mortem conscisceret; quare brevi post Tiresiae abitum spectatores eum vere omnia praedixisse tum per nuntium cognoverunt, tum ipsi viderunt.

Ac nuntii quidem in nostra fabula tales sunt, quales in omnibus veterum fabulis multos habemus; custodem vero istum, qui primum ab aliquo Polynici iusta soluta esse refert, postea Antigonen adducit, Sophocles admodum lepidum finxit hominem. Ex plebe iste est, simillimus et complurium apud Shakespearium eius conditionis hominum et in Trachiniis eius nuntii, qui Deianirae Licham advenisse narrat. Praeclare vero in eius sermonibus Sophocles talium hominum mores et narrandi genus expressit, in quo verbose proferre omnia solent, quaecunque sive ipsi sive alii aut dixerint aut cogitaverint, additis etiam causis, cur in has potissimum co-

gitationes, non in alias inciderint. Neque hic custos, cum se excusare in re pene desperata studet, ab subtilibus quibusdam distinctionibus atque argumentationibus abstinet, quae, ut imprimis his hominibus conveniunt, ita Creonti, irato, sunt molestissimae. Omnino haec non levia sunt in Sophoclis arte aestimanda; mihi vero etiam propterea esse memorabilia videntur, quod, in ea fragmentorum paucitate, ex iis, qualis fere in satyricis Sophocles fuerit, cognoscere quodammodo possumus. Nec vero, quod bis custos in scenam prodit, id poeta solum propter actionis varietatem instituit; verum aptissimum eo invento Regi vel iustitiam decreti sui, vel suspiciones suas declarandi locum fecit.

Cum vero Antigones partes propter id ipsum, quod gravissimae sunt, in disputationis meae finem relegaverim: hic mihi pauca quaedam etiam de choro licebit dicere, quem bene Schlegelius a Sophocle ideo non firmiorem factum esse monuit, quo praestantior Antigones, praesidio omni destituta, virtus videretur. Ego vero poetam nostrum maxime in eo soleo admirari, quod non modo ex senibus hunc chorum composuit; sed eos etiam quam longissime aetate provectos finxit. Creon enim eos et Laio et Oedipo et Oedipi filiis, dum imperium tenerent, iustam tribuisse reverentiam dicit, ipsique inde ab eo tempore, quo nigra ipsorum coma aspersa canitie fuerit, se semper Tiresiam cognovisse veridicum affirmant 1).

1) v. 165. sqq. et 1079. sqq.

Ad agendum hanc aetatem infirmiorem esse patet; sed ad nos magis id pertinet, quod in senibus, exceptis paucissimis, sentiendi vis atque agilitas omnis fere obtusa et exstincta esse solet; sola in iis, si qua relinquitur, cogitandi viget vis et maturitas. Hinc igitur fit in nostra fabula, ut vel cantus chori, (in quibus, quantum lyricae poeseos ardori tribuendum sit, omnes videant,) dignitate et gravitate magis, quam commotione excellant. Quae vero aguntur, omnia hunc chorum ita afficiunt, ut solent aetate admodum provectos. Cogitationum varietatem ac praeteritorum temporum iis memoriam revocant; tam graviter eos, ut ipsi participes fieri sensuum actionumque velint, non commovent. Ut vero multi senes tantum non obliti esse suae ipsorum iuventatis perturbationum videntur, ita accidit facile, ut ardentiores iuvenum animi horum frigus refugiant, maleque sapientiam istam accipiant, sibi non aptam. Atque hoc egregie Sophocles in illo expressit loco, in quo Antigone, ad mortem ducta acerboque afflicta dolore, ad chorum sortis suae miserias lamentatur. Etenim illi, senum bonorum more, modo consolari eam student; modo, ne se diis comparet, mortalis, hortantur; postremo vero in haec mala eam pietate quidem sua, sed ea parum prudenti, incidisse commonent. Benevole haec omnia faciunt; sed tamen ita, ut ipso loquendi modo suo, eorum, quibus Antigone agitatur, sensuum sese expertes esse prodant. Itaque haec plane non intelligit, quid dicant: illudi se ab iis putat, acerbe-

que, quod in tristi morte sua ne miserationem quidem inveniat, conqueritur.

Atque hanc virginem, ubi primum, in fabulae initio, progreditur in scenam, vel Oedipi patris calamitatum suarumque ipsius et sororis miseriarum recordatione, vel recenti Creontis iussu illo videmus commotissimam. In fratrem enim Polynicem sorori ea decreta esse mala narrat, quae non inferri nisi ab inimicissimis soleant, eiusque atrocitatis auctorem Creontem esse, istum, quem pro optimo habuerint 1). Atque haec inquit, tibi iste et mihi, dico etiam mihi, edixit, gravesque se decreto suo addidisse terrores opinatur, mortem minando ei, qui sepelire Polynicem ausus fuerit. Jam igitur aut dignam te probabis iis, ab quibus orta es, aut male degenerem.

Ismene autem, in hac fabula, ut in Oedipo in Colono, timidior, omni modo dehortari sororem ab ea audacia studet: ne gentis suae calamitates suis malis augeat, precatur; se puellas infirmas esse, legem illam ab rege potenti esse editam; fratris vero manes sibi, necessitati si paruerint, non fore iratas. Non movetur his Antigone; sed negat vetare Creontem posse, suis ne iusta faciat; illam vero iam se nolle sibi sociam fieri; se solam fratrem humaturam esse, mortemque sibi decoram fore, pietate erga deos mortuosque functae. Indignissimum vero id habet, quod Ismene se eius facinus promittit cela-

1) v. 31.

turam esse: enuntiandum id in omnes dicit: non enim sibi quicquam posse evenire, nisi mortem honestam. . . . .

Quis non viderit hoc omnibus nominibus maximopere laudandum esse exordium? Inducuntur virgines ad verisimilitudinem aptissime; exponuntur omnia, quaecunque ad earum sortem rerumque illarum conditionem cognoscendam erant necessaria; ipsi autem utriusque sororis mores brevi hoc colloquio sic exprimuntur, ut nihil desideretur.

Postea vero, adducta ab custode ad Creontem, Antigone liberrime se iusta fratri solvisse profitetur; se enim deorum antiquas leges sanctiores habere Creontis istis novis, neque mortem sibi, ut in tantis malis, videri tristem. Imprimis autem graviter, longo isto fatigata sermone, ex Creonte quaerit, num quid amplius, quam se necare velit, hortaturque eum, ut id faciat. Nec quicquam eius vituperatione movetur: non enim servum se, sed fratrem sepeliisse respondet, neque se ad odii fratrum, sed ad amoris communionem esse natam. . . . .

In eo, qui iam sequitur, loco durior is videri modus possit, quo Antigone Ismenen, criminis eius sese sociam dicentem, redarguit: negat enim eos se probare, qui verbis amorem suum declarare, non factis velint: itaque Ismenae vivendum esse, ut quae tantum Creonti dederit, ut fratrem, per se quidem, iacere insepultum sineret. Haec posse duriora videri dico; sunt tamen re vera ad naturam et hunc locum aptissima. Non enim, qui ita pietatem co-

lit, ut cum aperto vitae suae periculo ei, quae deberi putat, tribuat, leniter de iis potest iudicare, ab quibus eam viderit neglectam. Ut vero omnia, quae Antigone vel agit vel loquitur, admirabilem habent, sine ullo fuco, veritatem: ita gravissima in hoc loco iudicando illa sunt, quibus erigere afflictam sororem studet: etenim, bono sis animo, inquit, tu vives; mea vero anima dudum mortua est, ut gratuini facere mortuis queam. Inest in his non exigua benevolentiae, coniunctae cum summa granditate, significatio, quae non solum ab nimiae in sororem severitatis crimine Antigonen absolvit, sed etiam satis, ut mihi videtur, cur Sophocles nullum eius erga Haemonem amorem significaverit, declarat. Quomodo enim virgo, sic effecta, amoris commoveri vehementia potuit? sin autem moderata benevolentia quadam Haemonem prosequebatur: quid erat, cur in tanta rerum gravitate eius mentionem faceret, inanem? Magis hoc Ismenae, tranquilliori, congruit, eamque bene Sophocles rogantem tyrannum facit, filii sui sponsae ut ignoscat, aliam enim nullam huic neque aptiorem fore neque cariorem.

Reliquum est, ut de eo loco dicam, in quo Antigone, seclusa in palatio sorore, ad mortem ducitur. Neque naturae convenienter, neque ad pietatem eius augendam commode egisset Sophocles, si Antigonen sine ullo dolore fecisset de vita, omnibus iucunda, decedentem. Itaque acerbe illa infelicem sortem suam conqueritur, tristissimo supplicio se vivendi privari dulcedine, frustratam nuptiis,

non deploratam a propinquis, ab amicorum miseratione solatioque desertam. Sed certe gratam sese suis ad inferos venturam esse, quibus omnibus, et patri Oedipo, et matri, et fratri infelici honores iustos pie praestiterit; nunc vero pietate se perire sua, nec credere se posse, dîs id probari, sed fore, ut mortis suae illi ab interfectoribus iniustis poenas exigant acerbas. Haec tam praeclara sunt, ut laude nec nostra neque alia ulla indigeant; sed in his ipsis Antigones querelis versus haud paucos legimus, tam absurdos ad omnemque fabulae rationem tam ineptos, ut eos ego quidem sine dubio adulterinos habeam, ab insipido homine elegantissimo huic poemati male arte insertos.

De trimetris istis loquor, in quibus Antigone, cur Polynicem sepelierit, demonstratura; eadem argumentatione utitur, quam, in re non valde simili, Herodotus Intaphernis uxori tribuit 1). Qui locus, cum a nemine adhuc, quantum scio,

1) v. 895. sqq. Non enim pro certo ausim indicare, ubi insititiorum istorum cum genuinis iunctura lateat. cf. Herodot. III. 119. cf. adnot. Valcken. De Sophoclis loco inde ab Joach. Camerario, quos vidi, editores omnes, ita disputant, ut non fere sapientiorem te, quam veneris, dimittant. Brumoeus subsensit aliquid, nec tamen bene locum intellexit (l. l. tom. IV. p. 197. „C'est que la tendresse pour ses enfans auroit dû l'emporter sur les honneurs dûs à un époux mort. Aussi apporte-t-elle pour raison de cette différence entre un mari et un frère, qu'elle auroit pu trouver un autre mari; mais qu' Oedipe et Jocaste étant morts, elle n'a plus d'autre frère à espérer. J'ai appréhendé que ce sentiment, tout épuré qu'il est, ne parût risible en notre langue, et contraire à la véritable idée de Sophocle: car ce poëte prétend rendre Antigone plus aimable en la rendant innocente, et en la lavant du soupçon d'avoir voulu couvrir du voile de la piété un attentat sur les loix." Has recte caecas cogitationes aut natas mortuas dixeris.

in suspicionem vocatus sit: tantum de eo inter se dissentiunt eruditi, utrum eum ab Herodoto Sophocles, an ab hoc ille desumserit. Atque ego quidem, si omnino haec pro bonis haberem, certe Sophoclem ea dicerem ab Herodoto esse mutuatum. Nam, licet Herodotus historiae suae partem Athenis demum Ol. LXXXIV, 4. legerit 1); Antigone autem iam Ol. LXXXIV, 3. edita esse videatur 2): nemo tamen in splendido Athenarum consessu illum aliud quicquam, nisi aut Marathoniam pugnam aut Salaminiam aut denique eiusmodi aliquid putabit legisse, quod dignum et eius loci et festorum dierum gravitate esset. Leviores narratiunculas istas ad modicos ille familiarium adhibebat conventus, facileque potuisset fieri, ut Sophocles, si id voluisset, illa Intaphernis uxoris verba in Antigones suae querelas transferret, praecipue, si forte hanc fabulam Herodoto conscripsit; quod ex eo epigrammate, quod male ad Oedipum Coloneum vidimus referri, haud inepte collegeris; siquidem, Antigonen cum ederet, Sophocles vere quinquaginta sex aut quinque, quot sunt in epigrammate, annos natus erat. Sed vident omnes, etiamsi certum esset Sophoclem hanc fabulam Herodoto composuisse: inde non sequi, ut locum istum, ineptum, quippe quo gratum illi faceret, in fabulam suam ipse inferret; multoque minus id est verisimile, Herodotum ex nuda et mirabili An-

1) Larcher Hist. d'Hérodote. tom. I. p. XLVIII. sqq.

2) v. locos collatos ap. Boeckh. l. l. p. 107.

tigones ista argumentatione, narratiunculam finxisse, hominibus iis, inter quos res fieret, aptissimam. Sed mittimus hanc quaerendi inanitatem, iamque ad eas causas nos convertimus exponendas, ob quas hunc locum adulterinum et absurdum esse dicimus.

Et qua mente haec disserat Antigone, falsa ista, ipsa declarat; non vult enim cives putare per se temere urbis leges contemtas esse, ac docere eos studet, cur aliter non potuerit agere. Non ego hoc omnino vituperaverim, modo id illa fecisset, ut aut easdem, quae antea ipsi tam graves visae fuerant, causas repeteret, aut de eximio quodam Polynicis amore suo aliquid adiiceret; verum haec, Antigone quae vult haberi, si maritus suus aut si filius mortuus esset, eos sese non fuisse contra urbis iussum sepulturam docet. Num quis in his magnanimam illam agnoscit virginem, quae et Creonti se antiquas deorum leges sequi respondit, et a sorore facinus suum audax noluit celari? Nimirum dii non solum fratres, sed etiam maritos et liberos voluerunt humari, certeque hos etiam si iacere sine tumulo sivisset, Antigone poenas dedisset eas, quas ipsa dixit esse maxime fugiendas. Nec vero mulieres fere fratres, quam maritos aut filios habere cariores aut magis sibi propinquos solent: ut Antigone, quae supra negavit suis sibi Creontem posse interdicere 1), neque maritum aut filium eius cedere saevitiae deberet. Sed hic locus tam alienus est a nostra fabula, ut com-

1) v. 48.

parari cum aliis similibus in ea nequeat, quin aliquid inepti efficiatur. Veluti, quod Antigone etiam propterea affirmat sibi Polynicem sepeliendum esse, quod diutius ipsa mortuis placere, quam viventibus debeat 1): id omnes vident ad maritum et liberos mortuos non minus, quam ad fratrem, pertinere; cumque alio in loco Antigone fratrem se, non servum dicat sepeliisse 2): quomodo in nostro, nisi si servos facere maritum liberosque vellet, eos sese non fuisse sepulturam dicere potuit? Malum sane artificem Sophoclem haberemus, si ab eo ista crederemus profecta esse, quibus et priores loci omnes ineptissime perturbarentur et ipsius Antigones virtus admirabilis, praeter necessitatem, non modo turparetur, sed omnis plane perverteretur. Verumtamen, si qui forte sint, quibus haec leviora videantur, eos rogo, ut paulum ad ea attendant, quae sequuntur in isto loco, absurdissima. Antigone enim dicit: *Marito mortuo, maritum alium invenissem, liberisque orbata, ab alio viro alios suscepissem liberos; sed, defunctis vita patre et matre mea, frater alius mihi non erit.* Haec eadem Intaphernis uxor, cum ab Dario fratrem sibi condonari, quam maritum aut filium maluisset, renuntiasse illi, mirato, fertur: tam apte illa, quam nostra haec Antigone, quae vocatur, ridicule. Quid enim? si plures habuisset fratres, num ideo sibi non visa impia fuisset, si unum deseruisset? Sed sororem illa habuit, Ismenen? In quo igitur differre erga hanc pietatem ab fraterna credidit? Male urgemus bonum

1) v. 74. sqq. cf. 89. 2) v. 513.

hominem, quandoquidem non eius est vitio factum, quod Intaphernis uxor sororem non habuit. Mittamus igitur et haec et ista, quae tam ingenue de suo mariti sui amore Antigone profitetur, mirifice ab Haemonis ardore illo discrepantia; verum id liceat quaerere, cur tandem propterea potissimum illa se Polynicem debuisse humare dixerit, quod non esset, praeter eum, fratrem alium habitura? Equidem hanc solum causam invenio, quod putaret ex quovis propinquorum genere sibi unum esse sepeliendum. Itaque, si maritum aut filium primum canibus reliquisset lacerandum: sperabat fore, ut alterum posset condere; imo, si egregie adversa fortuna erat, tertium experiri et quartum licebat; iis autem, qui antea distracti per canes essent, egregie sibi virgo solvisse iusta videbatur, si denique unum aliquem seu filium seu maritum tumulasset. Taedet haec conficere; sunt enim, prope dicam, quot verba, tot ineptiae; veluti ista: *si filius mihi mortuus esset, ab alio viro alium habuissem.* Ea fiducia bene mulieri conveniret, quae iam plures peperisset liberos: in virgine est mirabilis. Sed mirabilius etiam id est, quod haec Antigoné, si unum filium inhumatum sivisset, se alium dicit ex alio viro fuisse suscepturam. Quid enim? quaeras, cur ex alio? cur non ex eodem? num ista ultro et Creontem tam crudelem, et se ipsam tam indignam fecit, ut, si ille una cum patre filium proiici canibus iussisset, se declararet utrumque prodituram fuisse? Certe hoc noluit horum versuum auctor, imo de eo, puto, ne cogitavit qui-

dem; sed, cum sibi eximiam quandam inter Intaphernis uxorem et Antigonen deprehendere similitudinem videretur: imbecillus homo, quaecunque apud Herodotum invenit, nullo usus iudicio, huic fabulae inseruit.

Absoluta hac Sophoclis tragoediarum recognitione, reliquum erat, ut de singulis quibusdam in iis locis dicerem, qui aut interpretatione aliqua egere viderentur aut emendatione. Quam quidem laboris mei partem, per se gratissimam, multae causae mihi reddiderunt tam molestam, ut iam scribendi finem facere constituerem. Fortasse magis in hoc id me debuisset movere, quod sic non praestarem, quae in praefatione promisissem; sed primum bene scimus omnes has res differendo non fieri peiores; deinde vero, si viri docti mea industria his studiis aliquid afferri posse adiumenti iudicabunt: magni illi mihi auctores erunt, ut ea, quae nunc retineo, cum aliis in secundo Sophoclearum quaestionum volumine quam primum edenda curem.

CORRIGENDA.

pag. 14.	v. 2.	*pro*	Casanbonus	*lege*	Casaubonus
- 28.	- 28.	-	com	-	tom.
- 43.	- 28.	-	Schnoiderum	-	Schneiderum
- 44.	- 26.	-	Boeckinus	-	Boeckhius
- 100.	- 15.	-	Gracias	-	Graeciae
- 109.	- 12.	-	ea sed	-	sed ea
- 126.	- 16.	-	ed	-	ad
- 158.	- 26.	-	Bocckh.	-	Boeckh.
- 164.	- 27.	-	per	-	par
- 170.	- 30.	*lege:*	Horatii interpres egregius, huius tempora, si serius edidisset librum, cum cet.		
- 171.	- 25.	*pro*	ipsum	*lege*	ipsam
- 239.	- 19.	-	imanitate	-	immanitate
- 250.	- 3.	-	illa	-	illam
- 269.	- 9.	-	sua	-	suo
- 277.	- 31.	-	sut	-	aut
- 288.	- 20.	-	Scaligerus	-	Scaliger
- 295.	- 30.	-	consuetidine	-	consuetudine
- 315.	- 5.	-	montrabunt	-	monstrabunt
- 322.	- 8.	-	selera	-	scelera
- 326.	- 24.	-	Sophoclis	-	Sophocles
- 360.	- 22.	-	iratas	-	iratos

Si qua sunt leviora vitia, v. g. n pro u positum aut comma inversum et similia, ea non putavi esse enumeranda.

